B. Meierus.

Lampades, comoedia sacra
ex capite XXV.
Matthæi Evangelistæ.

Hamb., 1621.

55,-10. DA Box
4

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

# LAMPADES
## COMOEDIA SACRA EX CAPITE XXV. MATTHÆI EVANGELISTÆ,

*Autore*

BERNARDO MEIERO HOLSATO.

HAMBURGI,
*Ex Officina typographica* PAULI LANGI.
*ANNO* CIↃ IↃC XXI.

# ERRATA.

PAG. 11.verſ.5.pro poſſum *l. poſſem.*
Pag.15.verſ.15. pro itentidem *l. identidem.* Pag.18.verſus 23.ita legend.
*Oporteat, memoradum : illi ut quàm maximè.*
Pag. 21. verſ.14 pro ſanctè *l. ſanctè.* Pag.24.ver.23.pro vero *l. verò.*
Pag.25.ver.21. perſonæ Plu.nomen præmittendũ verbis, *minimè ego quidem.*
Pag. 31. verſ. 5. tibi porrò? *cum notâ interrogat.*
Pag.54 verſui 19. præmittendum perſonæ nomen Ple: Occl.
Pag.97. verſ.10.pro quam *l. quàm.*
Act.4.Sc.2.verſ. 6.pro ſuut *l. ſunt.*
Verſ.8.pro conjectæ *l. conjectæ.* Verſ.1'. pro quaruus *l. quarum.*
Pag. 102.verſ.9. pro ſtrepiuus, *l. ſtrepitus.*
Act.4. Sc. 5.verſ. 4. quianam? *cum notâ interrogat.*
Pag. 125. verſ.21. quæ hæc factio? *cum notâ interrog.*
Verſ. 23. pro perfugam *l. per fugam.*
Act.5. Sc.2.verſ.13. pro adoremus *l. adornemus.*

OMISSA.

Pag.9. ad oram verſ. ultimi *Septenarius* apponatur.
Pag.93. ad oram verſ. primi *Throchaici Septen. acatal.*

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
B.R.H.

# MAGNIFICIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS CONSULIBUS ET SENATUI INCLYTÆ HAMBURGENSIUM REIPUB.

*Dominis & Patronis meis omni obſequii cultu proſequendis.*

*VRBIS GAMBRIVIÆ præfulgida lumina, PATRES,*
*Quos Pietas, quos ſancta Themis, prudentia, virtus,*
*Cana fides, & doctrinæ nitor inſerit aſtris,*
*Accipite has puro ſuccenſas LAMPADAS igni:*
*Queis mundi jamjam ad nihilum lapſantis imago*
*Fatidicas Chriſti ad voces umbrata relucet.*
*Accipite haud indignantes, de nomine veſtro*
*Quod ſibi ſplendidiorem optant adſciſcere lucem.*

*Lampadibus quidni præclaræ Lampades addant*
*Grande favore ſuo decus, ut ſit grandius auctum*
*Luminibus multis lumen per noctis opaca?*
*Prælia ſint aliis curæ, belliq; furores:*
*Et Martes clueant, & magni nominis umbram*
*Per ſtrages caſtrorum, hominum per funera quærant.*
*Vos oleæ decus, & pietatis munus, & artes*
*Textrices ſociasq; togæ, quas caſta Minerva*
*Pacis in omniferæ floremq; & commoda nutrit,*
*Protectum, ornatum curâ ſolerte manuq;*
*Promptâ itis. cujus monumentum illuſtre, novumq; eſt*
*Splendor Gymnaſii veſtri: quod, ceu pharus, altum*
*Diſciplinarum extollens jubar ingenuarum,*
*Barbariæ tenebras inſulsæ ac nubila differt:*
*Directumq; ſimul fauces per & oſtia Veri*
*Pandit iter Sophiæ ſulcantibus æquor ephebis,*
*Æthereas ad opes & vitæ dona beatæ.*
*Scilicet hoc magnis venit urbibus ornamento.*
*Hunc petit impendi ſibi ſancta Eccleſia fructum,*
*Hoſpita quæ veſtris ſedet & benè tecta ſub alis.*
*Hinc & res & opes veſtras ad vota ſecundis*
*Auctas perpetuùm bonitas dabit incrementis*
*Alma Dei, ſeros non deſertura nepotes.*
*Sed quid ego hæc ad vos alio ſub ſole locatus?*

*Rectè*

*Rectè ad vos, inquam: majorum ſanguine & ortu*
*Si veſtras ſum & glorior eſſe. quis intima jura*
*Naturæ ac generis permultum poſſe negabit?*
*Quò materna trahit ſtirps, quòq; paterna, ſequendum*
*Virgulto eſſe monet lex lege potentior omni.*
*Quare eja aſpicite has animo æquo & fronte ſerenâ,*
*Qualemcunq; duint vitæ hæc per nubila lucem,*
*LAMPADAS, irriguas oleo & ſermone Latino*
*Ad prælucendam pietatis lampada, cunctos*
*Quæ Chriſti jubeat vigilanti corde fideles*
*Vivere ad uſque tubæ ſonitum horroremq; ſupremæ.*
*O ſi adjuta ſſint fieri hoc. non cætera curæ*
*Mî ſint, hoc pereant ſeclo, maneantnè perennes.*

*VV. AMPL:*

*Deditiſſ:*

BERNHARDUS MEIERUS
Holſatus

# Periocha Comœdiæ.

L *ampadibus Virgines ſe ardentibus parant*
A *d* AGNI *nuptias comptu Vigilantiæ.*
M *ittit Hypocritam Plutus, illas qui ſuis*
P *elliciat ad ſe technis: hoc Securitas*
A *djuvat ope omni. quinque in fraudem credulæ*
D *ucuntur: alteris, ſuas dum innoxiè*
E *xcubias obeunt, cœli aperitur atrium;*
S *ed fatuis imparatis occluſum manet.*

## PERSONÆ.

Archangelus Tubicen.
Eccleſiaſtes.
Virgines 10. { Prudentes quinq;. / Fatuæ totidem.
Vigilantia.
Plutus.
Pleonectes.
Hypocrita.
Securitas.

Brunio } Paraſiti.
Stomylus }
Mercator.
Vidua.
Convivæ.
Puer.
Vox Sponſi.
Chorus Angelicus.

PROLO-

# PROLOGUS.

## ARCHANGELUS TUBICEN.

VT vos in omnibus veſtris itineribus,
Quæ peregrè deſtinatis aut domi ingredi,
Me vultis ac ſocios meos vobis duces
Et comites atque adeſſe cuſtodes ſimul:
Et ut res ac negotia veſtrorum omnium,
Quæque incepiſtis jam quæque inceptabitis,
Provehere nos vultis ad optatos exitus,
Voſque in juſtis juſtè adjuvare laboribus:
Et uti Sathanæ inſidias, dolos, vimque rabidam
A vobis, liberiſque veſtris, ac domo,
Fortunis denique averruncare omnibus
Nos vultis, ita virtute viribuſque uti
Pugnemus iſti communi adverſario:
Quò veſtræ incolumitas ſua & tranquillitas
Vitæ hiſce conſtet in terris. hæc igitur ut
Noſtrum optatis genus accurare, annitier,
Auxilium vobis ut perenne ſuppetat:
Ita huic facietis dramati ſilentium:

Itaq;

Itaque æqui & juſti hîc eritis omnes arbitri.
Nunc quis ego ſim, & quamobrem venerim, eloquar:
Ne quis miretur me, quod in proſcenium
Hoc ſic proceſsi cum tubâ. Angelos ſuos
Simulatque olim ſummus Opifex creaverat,
Protelo hunc adminiſtrum exercitum ſui
Rex regni in certos diſpertivit ordines:
Me primorum conſtituit unum Principem
Hâc terrifici ſonitûs tubâ concreditâ.
Sunt alii buccinatores quoque Angeli,
Emittier quos lux videbit ultima,
Ad congregandum Chriſto electum hominum genus
*Matth. 24.* A quattuor ventis, & cardine ab altero
Ad alterum cœli. verùm inter hos DEI
Munere conceſſuque obtinere principem
Datum eſt locum, juxtaque mandatum mihi:
Ut prævium me apparitorem præbeam
Summi Patris æquali Oratori Filio:
Quotiens viſum illi ad terras glorioſiùs
Palàm humani generis bono deſcendere.
Iccircô quondam cùm ipſemet Hebræo poplo
In vaſtis Arabiæ petroſæ ſyrtibus
(Res cognitiſsima vobis) æternæ ſuæ
Legis præcepta promulgata decem daret
De monte quaſi tribunali celſiſsimo:
Ibi tùm ardentes inter ignes lampadum,
Fulgetra micantia inter & tonitruum

Frago-

Fragorem, fulminumque jactûs, hæc mea
Perſtrepuit horrendùm tuba, ſic quidem, ut tremor
Concuteret ingens terram & ocris fumidi
Jugum, terrorque virûm ſexcenta millia
Daret in fugam. atque illa intolerabilis quidem
Tempeſtas viſa, tamen tolerabilis oppidò
Fuit, præquam Chriſti erit adventus ultimus.
Nam tùnc iterùm, tùnc poſtremùm audietur hæc
Tuba, noſtro inflata valentiore ſpiritu:
Penetrabit ejus clangor abyſſos ac ſinûs
Naturæ omnes. eo montes ruere, polum
Nutare, palleſcere ſidera, terræ ſolum
Subſidere, fugere maria, excitarier
Chriſti omnipotente voce in vitæ lumina,
Quantum inde mortuorum ab origine ultimâ
Aut terra texit, aut mare hauſit, aut rogus
Abſumpſit, aut vis diſſipavit aëris;
Jlla omnia vos cernetis oclis, quos illa lux
Extrema cunque ſuperſtites deprenderit.
Interibi autem loci placidus tantùm ſonus
Aures feriet veſtras, utinam verò & animos
Et corda veſtra. nam vobiſcum leniter
Dictis bonis agit, & agier juſsit DEUS,
Ad uſque hujus ſonitum tubæ noviſsimum.
Quod adeò ego vos commonitum veni ſedulò.
Nec quenquam eſſe arbitror tantâ ſapientiâ,
Quin calcar ei quoddam opus ad pietatis conſtantiam.

Habetis ab illo, qui veſtræ ſalutis eſt
Inventor, autor, & perfector unicus,
Vitæ ac ſaluti animarum veſtrarum catè
Præfectos vigiles, officii gnaros ſui.
Quîs nulla res tàm cordi, quàm vos virgines
Intaminatas vitiis hujus ſeculi,
Pridem donatas civitate cælitum,
In amplexus Sponſi cœleſtis ducere.
Non hi fumoſam doctrinarum humanitùs
Inventarum, ſed Evangelii cælitùs
Patefacti lucidam vobis quatiunt facem.
Idem vocem extollunt inſtar tubæ ſuam,
Legiſque divinæ tubâ vos increpant
Aſſiduò, ut eſt æquum, & vigiles bonos decet:
Quo nempe veſtrûm quiſque pulcrè ac ſobriè
Vigilare perſeveret, tùm in luce fidei,
Quam vera Lux ſuccendit veſtris mentibus;
Tum in caritatis omni ſancto opere & bono,
Ad quod vos regeneravit ipſa CARITAS.
Annon veſtrum eſt tantum pectore gratiſſimo
Amplecti, & veſtrum uſu facere bono bonum?
Profectò eſt: hinc quando ſalus, vita, gloria,
Regnique cum Chriſto æqua participatio
Non hoc ævo, ſed infinitis ſeculis,
Vobis proveniet & cunctis utentibus.
Quare videndum etiam atque etiam, ni fortè ſint,
Quîs potior res perire, quàm ſervarier,

Viden-

Videndum, ne per vos ſtet unquam, quò minùs
Cum fructu faciant vigiles, quod veſtræ velint
Cum emolumento effexe beatitudinis.
Tantum eſt, quod hùc veni præfatum ab initio:
Nec hujus non poſſum generis conſimilia
Complura, quæ iſtoc temporum ſtatu, ſtatu
Autem? immò verò lapſu ad interitum ultimo,
Salutaria vobis atque neceſſaria
Longè auditu, quam præmonitu nobis forent.
Quid opus? Eccleſiaſtes & Vigilantia
Prudentes Virgines item, quodcunque erit,
Quod prodeuntes monſtrabunt, illud hominum
Omnis ſecta ſibi rectè monſtratum putet.
Mihi hinc neceſſe digredi, uti, Sponſus quotâ
Cunque horâ juſſerit cieri ad nuptias
Decem illos Virginum flores, quas deperit,
Expediam memet hâc tubâ intonare claſsicum.

# ACTUS I. SCENA I.

## ECCLESIASTES, VIRGINES DECEM.

ECCLES. *Regis ſupremi hùc me miniſter affero,*
*Orbi flagitiis cooperto atque ſceleribus*
*Fatalem ut imminere diem denunciem;*
*Diem, quo Natus unigena Regi meo*
*Dabit auſpicata nuptiarum gaudia*
*Amatæ ſibi, contraq́; amanti Eccleſiæ.*
*Is hujuſce rei, uti in propinquo eſt, tempori*
*Me commonefactare caſtas Virgines*
*Juſſit decem, mortalium lectiſſimas*
*Sibi Sponſo Virgines, illas dico autem, in hâc*
*Urbis ſanctæ regione quæ infimâ colunt.*
*Ad eas nunc ego, quod mihi negotii eſt datum,*
*Prôinde ut miniſtrum fidum condecet, exequar:*
*Impulſor, autor, exhortator diligens*
*Ero, quantùm amant ſalutem perpetuam ſuam,*
*Tàm ſomnolentiam procul ab ſe ſegregent:*
*Operamq́; contrà, ne qua, navent, horula,*
*Neu temporis quod punctulum offendere queat*
*Cœli immemores ſuiq́; & comptas improbè.*
*Niſi enim ſceleris puro nulli ſuperûm domus*
*Patere vult: piisq́; cum multâ prece*

*Quiſq; ſtudiis, ac demandati muniis*
*Officii invigilârit fidus, eum denique*
*Cœleſtis admittent vigiles palatii.*
*Verùm ecce tres ejus decuriæ tuor*
*Modò progreſſas domo. quid illæ ante oſtium*
*Aut quem volunt? ſtant otioſæ & rumitant*
*Quid neſcio inter ſe. nam illinc vocis nihil,*
*Quod auribus capiam, eſt, meis: nunquam mihi*
*Profectò virginale placuit otium.*
*Aggrediar optimum eſt. ſalvete filiæ,*
*Vos ille, qui inacceſſam colit lucem, Pater*
*Et pace & æviternâ mactet gratiâ.*
VIR. *Idem te, vir venerande, diu ſuperſtitet*
*Et ſoſpitet.* ECCL. *veſtræ ubi ſorores relliquæ?*
*Iſtoc, an alio quæritandæ mihi loco?*
VIR. *Immò intùs omnes congreges domi ſedent.*
ECCL. *Sedent? quid agentes?* VIR *ſerium per ferias*
*Nihil haſce, fas quod annuit.* ECCL. *itan' annuit?*
*Immò abnuit. prodire jubete hùc ocyùs.*
*Latebræ fermè concinnare nequiùs*
*Id aſſolent, quod lux & arbitrûm frequens*
*Conſervet aſpectus rectum ad frugem bonam.*
*Quid venit in mentem vobis, ô cariſſimæ,*
*Nunc ſeſſitare manibus compreſſis domi,*
*Quando graviſſimis ceſſandum eſt impigrè*
*Studiis? an ignoratis iſtoc otio*
*Quaſi oſtio hoſtium ut invitetis copias,*

*Et offeratis veſtri ſpolium improvidè*
*Decôris, quo ſe maximè oblectarier*
*Sponſus amat veſter?* VIR: *at quem Sponſum appellitas?*
*Numqua inſtant nuptiæ?* ECCL. *veſtras ego, Virgines,*
*Haud præter aures îſſe ſermonem reor,*
*Patrem in cœlis æternum Filio ſuo,*
*Ex ſeſe quem genuit coæternum ſibi,*
*Suiq́ conſortem imperii atque gloriæ,*
*Sponſam de genere veſtro velle & ſanguine,*
*Addicere atque potentem dedere in manum.*
VIR. *Utique meminimus. Chriſtus ille Sponſus eſt:*
*Sunt nuptiæ beata cœli gaudia,*
*Speranda, dùm ſpiramus hoc in ſeculo.*
ECCL. *Probè. quid ergo eſt, vos ego quòd tàm deſides,*
*Et diſſidentes cura ab omni ſeriâ*
*Quî vos bellatulè paretis, reperio?*
VIR. *Pararier in mundo eſt, vir ſancte, & affatim*
*Mundi eſt, quod arca domi ſervat: ſed quid valet*
*Conſpicuas eſſe cultu ad Regis nuptias,*
*Dùm conſtituta illis lux etiam abeſt procul?*
ECCL. *Veri inſcientem prodit falſa oratio*
*Mentem. quaſi hocce idem non tempus ultimum*
*Mundo ſiet?* VIR: *quòd ſi extremè ultimum, tuo*
*Diem ſtatum condictum facies calculo*
*Noſcamus, ſi poteſt.* ECCL: *id verò non poteſt,*
*Non debet: humana hîc claudit ſcientia:*
*Diem ſuâ Rex ſolus præſcientiâ*

*Clau-*

*Clauſum habet. illud ſciendum, habendum in memoriâ*
*Illud revolvendum animo noctuq́; & diu,*
*Quòd in ictu ocelli, & more modoq́; fulguris,*
*Quod nubibus olim, cum tonat, ſubitum emicat,*
*Cunctis ſiet venturus gentibus ſuper,*
*Breviq́;, credite Virgines, brevi: brevem*
*Horam capeſſite: moram longam aſpellite.*
*Quæ vivitur hora, ut ultima, verè vivitur:*
*Differre vivere vitæ eſt jacturam pati:*
*Ubi ventum ad extremum eſt, differre nil licet.*
VIR. *Ain' verò? & adexodum adducta tibi omnia*
*Videntur?* ECCL: *maximè. nam idipſum clamitant*
*Cœli, terræ, mariſq́; ſigna, quæ ſui*
*Chriſtus voluit eſſe adventus prænuncia.*
*Quàm multa exiſtunt inter nos itentidem,*
*Quibus aliud nihil humanis rebus niſi*
*Ipſum excidium portenditur? illa ſi ante oclos*
*Vobis paſſim obverſantur, cur non mentibus*
*Attentis obſervantur?* VIR: *obſervata ſunt,*
*Sunt obſervata ac jamdiu, nec te fidem*
*Dictis abnuere noſtris par fuerit, ſed ut*
*Multùm ex longinquo ſigna præcurrentia.*
ECCL. *Ex longinquo? quæne oſtendunt ſe ex proximo?*
*Quod erat longinquum, id temporum volubili*
*Scitote curſu deductum appuliſſe nunc*
*Propinquitatem proximam exitûs ſui.*
*Quia enim natura congemiſcit omnis &* Roman. 8.

*Quaſi*

*Quaſi deſideriorum ſupremis nixibus*
*Parturiens mantat, qui ſeſe à miſero dies*
*Faxit ſervitio vanitatis ut ſiet*
*Mox libera, eâ ex re adeò frequentioribus*
*Hanc evenit perturbari atque affligier*
*Noſtram ætatem prodigiis; ceu cœleſtium*
*Deliquia luminarium ſunt, & faces*
*Cometarum minaces, ſæva turbinum*
*Violentia, fluminum eluviones & maris,*
*Agrorum hominumq; ſtrages, labentis ſoli*
*Terrarum fremitus, peſtilitatis & famis*
*Exempla, gentium in ſe arma & mutuæ*
*Clades. his varia relligionum ſchiſmata,*
*Prophetarum vanidicorum miracula,*
*Rectè credentium exilia addite aut neces,*
*Cumprimis illius ſceleroſi ac perditi*
*Detectionem hominis, qui Antichriſtus cluit.*
*Illa, illa ſunt indicia nobis, Virgines,*
*Quam prorſus in fatum ſuæ propendeat*
*Mundus ruinæ. Vos exemplum ſumite*
*( Res monet ) ab iis, quorum ruinoſæ & male*
*Sartæ ſunt, quas habent, ædes: ſimulac dari*
*Tigna in putrorem, hiaſcere undique latera,*
*Sidere fundamentum, muros labaſcere,*
*Nutare tectum conſpicantur, quid ſuâ*
*Tùm ex re ſibi conſilii capiant, næ commodùm*
*Idem vos vobis capiundum cenſebitis*

*Suaſu*

*Suaſu meo. illos tàm formido periculi*
*Præſentis, quàm ſalutis cura & amor ſuæ*
*Impulerit ad migrationem aliò & fugam*
*Maturrimam: vos, ſi quid ſapitis providè,*
*Ad commigrationem hinc ad ſuperna cor*
*Benè præparatum omni momento habebitis:*
*Atque in ruinis hiſce rerum ac temporum,*
*Illò curam omnem, navitiem, atque induſtriam,*
*Studium & laborem conferetis unicè,*
*Quî revenienti ad terras Sponſo cælico*
*Comptæ decenter occedatis obviam.*
*Sic vitæ, ſic ſaluti ſempiternæ erit*
*Veſtræ ut conſultum eatis: ſic diæta vos*
*Beatorum excipiet, & ſaturas gaudiis*
*Indeſinenti confovebit ſeculo.*
VIR. *Quàm nos, proh Deum, alias nunc feciſti tuis*
*Verbis? aliæ fueramus intùs. otio*
*Quàm pænè captæ in magnum incideramus malum?*
ECCL. *Malum agnoviſſe grandis ad bonum eſt gradus.*
*Et vos ſi corde virtutem expeteſſitis*
*Recipere, & ſummi apiſcier fructum boni,*
*Malum fugite, fugate penitùs languidum*
*Torporem ex animo ſeu teporem. in otio*
*Semper venit cum vitiis vis negotii,*
*Sed otium ad virtutem in vi negotii.*
VIR. *Tibi auſcultare, amice vir, ſententia eſt.*
ECCL. *Veſtram in ſalutem erit: agitur res veſtra enim.*

Quamvis contractum tempus eſt: ſol ultimus
Hic ſimul occubuerit mundo, tenebræ ingruent:
Et ſtabit omne hoc horridum caligine:
Sopor altus mortales & lethifer obruet
Veternus: ſed ne & vos pariter cauto eſt opus.
Vigilaces eſſe voce DEI jubemini,
Non ſtertere: pervigilanda vobis nox venit,
Et tota. quia incertum, quotâ horâ aut vigiliâ,
Marc. 13. Noctis conticinio, an principio veſperæ,
Sub galli cantum, an auroræ exoriens jubar
Orbis ruinam impulſurus Dominus ſuo
Siet adventu. vos interibi operam date,
Similes ſervorum ſitis, quos herus ad fores,
Proinde ut vult, in excubiis invenerit,
Luc. 12. Et qui pultanti aperiant è veſtigio:
Hoc æternùm veſtra referet. VIR. vigilabitur,
Ut eſt præceptum: nulla laſſitudo nos
Dabit ſopori. ECCL. id adjuvet vos Spiritus
Mar. 14. DEI. nam ad excubandum noſter quamlibet
Sit promptus ſpiritus, infirma eſt ſemper caro.
VIR. At in illâ debitâ Chriſto itione obviam,
Ad quem modum nos ornatas incedere
Oporteat, memorandum: illi quam maximè
Placeamus Sponſo noſtro. ECCL. id vobis eloquar.
Non abſque nuptiali ad nuptias face,
Nec abſque nuptiali adeundum veſte erit.
VIR. At quomodo? ECCL. ſi operâ quidem promittitis

Dare,

*Dare,dicam,*VIR. *audire diſcupimus.*ECCL:*primùm omnium*
*Ex ædibus veſtris lucernas fictiles*
*Sumite,plenas oleo defecatiſſimo.*
VIR. *Quid tùm verò?* ECCL. *eas foco de ſacro accen-*
*Habete accenſas munditer.*VIR.*quid poſtea?* (*dite:*
ECCL.*Suam ſuâ præferto quælibet manu*
*Lucentem perpetuò candente flammulâ:*
*Summi* JEHOVÆ *eſt hæc edictio: bonum*
*Factum, hanc ut ſervetis.* VIR.*nil erit antiquius.*
ECCL.*Quippe illius ſacerdotes caſtiſſimas,*
*Et luce ſempiternâ conveſtirier*
*Dignas per hanc vos ſpeciem comprobabitis.*
VIR. *Non gremio hoc noſtro, pectori ſed intimo*
*Te credere crede.*ECCL.*ita pol velim: quià quàm exci-*
*Extemplò, vos templo excidiſtis cælitum* (*det*
VIR. *Id averruncet maximus Rex cœlitum.*
ECCL.*Quapropter cautione quantâ maximâ*
*Poteſt, curate, providete, attendite,*
*Ut vivis ſuppeditet perenne pabulum*
*Lampadibus: & fundetur ejus largiter*
*Verbi ſacri myſteria audientibus,*
*Orantibusq; in Chriſti ſanctuario.*
*Quarum etenim cunque defectu lampas olei*
*Fumo relicto exſtincta decrepitaverit,*
*Ubi excîtas in occurſum Sponſo ſonans*
*Ætherei prodromi tuba increpitaverit,*
*O illas omnium, quas mundi oculus videt,*

*Calamitoſiſſimas jam tùm & miſerrimas,*
*Et nuptiis beatis excluſiſſimas.*
*Non radius ullus affulgeſcet gratiæ:*
*Tenebræ perpetes tenebroſas oppriment.*
VIR. *Pœnæ vel ipſum ad nomen contremiſcimus.*
ECCL. *Dictum ſatis.* VIR. *numquid de ornatu cætero*
*Dicere ſuperſedebis?* ECCL. *ad compendium*
*Ponam. ſit munda, ſit ſimplex, ſit luxui*
*Veſtis aliena prorſus. nimio perditur*
*Ingenua forma cultu: gemmis frangitur*
*Verus decor: nil aſcititium aut ſublitum*
*Fuco ſerenos Regis oculos ducere*
*Tanti poterit.* VIR: *FA: ehem non ex unionibus*
*Capillare aptum, non monile turgidum*
*Baccis, non condalia ſcitè radiantibus*
*Pyropis interſtincta, non & aureas*
*Armillas, non phrygioniam quoque cycladem,*
*Zonamq; purpuream è bombyce, & id genus*
*Regalia ornamenta, feremus nuptiis*
*Regalibus? vix hoc à me impetraſſere*
*Sperem ipſamet.* VIR: *PR: tibi quid, malum, præſcriptio*
*Ornatum hujuſmodi, contrà quàm cenſet hic* (*eſt*
*Eſſe decorum?* VIR. FA. *nec veſtis dedecere nos*
*Attalica poſſit.* ECCL. *luxus omnes dedecet.*
*Quæ modicè virgo ornata eſt, ornata ſatis eſt:*
*Cui nimia cura cultûs, nimia incuria*
*Ut plurimùm virtutis eſt: ſemper animi*

*Vitæq;*

*Vitæq; agundæ fictores, quàm corporis*
*Habiti ſunt pulcriores arbitris bonis.*
*Compendiò, ſi conſilium vultis, dabo.*
VIR. *Omninò, habituræ præcepti vicem tuum*
*Conſilium.* ECCL: *hìc virgo, templum, eſt, quæ propter habitat,*
*Strenua, laborioſa, pulcra & elegans*
*Nimis, cui & pectus miris ſapit modis,*
*Et ſiderum ignes æmulantur lumina:*
*Ædes ego ejus noſcito, haud abſunt procul:*
*Vigilantia nomen eſt. illam conducite*
*Ornatricem familiaremq; inducite*
*Ea vos pulcrè exornatas, ut decet, dabit.*
VIR: *Benè habet: & tibi, proin ut merere, gratias*
*Antiſtes ſanctè, agimus & habemus maximas.*
ECCL. *Ite ergo ad officium veſtrum intrò.* VIR. *inibi erimus.*
ECCL. *In vobis quod operatus eſt, firmet* DEUS.

## ACTUS I. SCENA II.

### ECCLESIASTES.

*Nunc officium poſtquam meum feci, ita* DEUS
*Pollentem me vitæ perennis factitet,*
*Cujus mihi nullo ſpes elabetur modo:*
*Teſtari ex conſcientiâ ut poſſum meâ,*
*Nihil omnium, ſaluti harunce Virginum*
*Rerum eſſe, quod præoptem, quodq; abominer*

*Pejùs, nihil, quàm fortè nervo ignaviæ*
*Securæ compeditam exeſſe juberier*
*Vel unam epulis Divûm cœleſtibus. tamen*
*Periculum magnum eſt, quod ſacro hoc codice*
*Edoctus eloquor, res ut quidem fluunt*
*Humanæ temporis ſub articulum ultimum,*
*Ne Plutus, orbem qui univerſum nunc premit*
*Imperio, hujus quoque occupet decuriæ*
*Partem, ſuæq́; obnoxiam lubentiæ*
*Faciat. certè potentiæ ejus vix poteſt*
*Reſiſti: in tantum, rebus omnibus bonis*
*Marcore ſenentibus extremo, unus amor rei*
*Habendæ atque fruendæ ad fœdas libidines*
*Vegeſcit in dies augente robore.*
*O tempora, ô mores! non Herculis labos*
*Vel millibus trecentis auctior ac fuit*
*Olim, illis ad frugem reducendis ſiet,*
*Perfidia, pelliculatio, perjurium,*
*Scortatio, temulentia, catillatio,*
*Opicæ omnes conſuetudines atque ſcelera,*
*Quaſi herba irrigua ſuccrerunt uberrimè:*
*Eorum licet jam meſſem metere maximam.*
*Credin' DEI, cum mox adveniet, Filium*
*Pietatis ullum in agro inventurum ſuo*
*Germen? adeò bonas fruges ſecuritas,*
*Quaſi implicando ſcandulaca, omnes necat.*
*Ni tu tibi benignitate pro tua*

*Chri-*

*Chriſte omnipotens ſervare ſemen volueris*
*Aliquod, tuoq; id fœcundare Spiritu:*
*Ut honori nominis tui & bono ſuo*
*Grandeſcat, & marceſcere neſciam ferat*
*Beatitatis in ſecula pancarpiam.*
*Hoc ut velis propitius, & ô piiſſime*
*Voles, ea propter te invoco atque gemitibus*
*Ardentibus ſupplex numen adoro tuum.*
*Sed interviſam nunc tempus domi eſt. meis*
*Quàm pulcrè ex monitis rem geſturæ Virgines*
*Sient, facto parebit, & id mihi cognitu*
*Perfacile erit per indicium Vigilantiæ.*

## ACTUS II. SCENA I.

### PLUTUS, PLEONECTES, HYPOCRITA.

PLU. *Quomodo tu iſtuc, Pleonecta, dixiſti Miniſtrum Eccleſiæ* Octonarii Jambici.
*Magni adverſarii noſtri proclamitaſſe nuptias?*
PLE. *Nempe hoc modo, atq; inſtare paratas quolibet momento.* PLU. *ain'?*
PLE. *Ajo.* PLU. *quibus hominibus deprædicatum eſt?* PLE. *Virginibus decem.*
*Pulcerrimis illis, quas ſpe præſumpſeras interfore*
*Tuorum familiarium Helluonis ac Libidinis.*
*Hodie agitandis nuptiis.* PLU. *illis? notas mihi prædicas.*

PLE.

PLE. *Quin & brevè eſt, cùm nuptiis quæ pronuba erit Securi-*
*Illam ſubmiſti ad illas oratricem.* PLU. *meminiſſe videor (tas,*
*Fieri. tun' audiſti bucconem clamitantem ipſemet, an id*
*De auditu aliorum nuncias?* PLE. *ſi quam fidem ac fiduciam*
*Ab auribus pendere jus eſt, here, tàm momar nunquam ego,*
*Qui ad alienas meam obſtringam.* PLU. *ergon' ad tuas?* PLE.
*videlicet.*
PLU. *Næ tu hercle ſiculus, non modò momar fueris, ubi fidem*
*Ad aures enecaveris turpi ſuſpendio: tuis (tuam*
*Quis hominum credet poſteà verbis?* PLE. *nec hercle ſuadeam*
*Cuiquam, niſi res ſuas ſuſpendio perire ad ungulas*
*Haſce voluerit.* PLU. *laudo. ſed auferantur ridicularia.*
*Quando aut ubi ſtrepitum audiviſti arguti tintinabuli?*
PLE. *Ante ædes Virginũ illìc illicò.* PLU. *numquid commoverier*
*Tibi viſæ ſunt?* PLE. *& perquãplurimùm: id adeò auſcultantiũ*
*Loquebantur oculi atq; vultus oculis hiſce.* PLU. *profectò huic*
*Principio prævortendum eſt, quantum ex dictis arbitror tuis.*
PLE. *Sapienter feceris. rerum illud eſt gerendarum caput,*
*Caput mali naſcentis ante corpus reliquum elidere.*
PLU. *Gregem univerſum nobis dormitantibus avertet lupus:*
*Commodò nunc hinc Securitas abeſt.* PLE. *cur nõ potiùs canem*
*Vocas, qui dormitantem fecit expergiſcier gregem*
*Latratibus? morſu Securitatem ne porro fuget*
*A caulis, id vero haud de nihilo, cur verearis, eſt* PLU. *canis*
*Lupus, aſinus fiet, ut iſtum rictu trifauci cerberus*
*Dilaniet & quantum eſt Acheronte Dæmonum.* PLE. *Vah, he-*
*re, quàm male eſt*

*Stoma-*

*Stomacho?* PLU. *meon'?* PLE. *tuo. nam res diras & execrabiles*
*Evomuiſti?* PLU. *licet. tantum in regnis meis auſus ſiet,*
*Non niſi Regis ſui elatus vaniſſimâ fiduciâ,*
*In nubium Latio procul agitantis? cui capitis cùm erat*
*Res olim, unum dupondium, qui ſe redimeret, non erat.*
PLE: *Enimverò, here, malè maledictis pugnas, ubi factis opu'ſt.*
PLU. *Enimvero ego bellè maledicta factis vincam peſſimis.*
*Egon' malefacta deſuant verebor? haud vidi magis.*
*Immenſus antè carebit undis oceanus. auro meo*
*Innumeræ militant per orbem copiæ: ſub aureis*
*Signis ego omnium ſcelerum, quæ homines poſt natos nata ſunt,*
*Exercitum explico, inferis ſuperisq́ formidabilem.*
*Non mendicantium iſtud valeam conciliabulum,*
*Quaſi ventiſpolia, diſturbare?* PLE. *quantũ valeas, provide:*
*Ut actum reddas ego metuo.* PLU. *quid ita?* PLE. *quia inviſus canis*
*Ille haud modò nuptiis obſcævat, ſed & imperio audet tuo*
*Obnunciare denique peremptale fulgur.* PLU. *Ebò, die*
*Fors ultimi?* PLE. *rem tangis.* PLU. *nempe, quod fulgur pueri vibrent*
*Expelvi?* PLE. *ſiccine habes pro deridiculo? minimè ego quidẽ*
*Immò quando ultimus heſternus dies fuit, & hodiernus eſt,*
*Et craſtinus & perendinus erit, dî illum penitùs perduint,*
*Si flocci facio mendaciloquum vatem, dignum patibulo.*
PLE. *Hui, quî talem arguas, quid habes?* PLU. *auſpicium aliud, non alterum.*
PLE. *Vide, auguralem calleas ut diſciplinam callidè.*

PLU. *Hunc tu vide: hic lituo dignus. Hypocrita, quæ tua ſpectio?*
*Age nuncia. quàm mox cœlum ruet?* HYP. *here, non dicam dolo,*
Formula auguralis caſca apud Feſtum. *De cœlo mihi dexterrimè ſervatū eſt:* BENE SPONSIS *modò*
BENE *tu* VOLERIS. *curſum ecce ſolemnē inde ab origine ultimâ*
*Hæc rerum ſervat univerſitas, nec ſe quoquam, atque uti*
*Semel ordinata eſt, mutavit: ſeu tu cœlorum ſidera*
*Orbeſq; volubiles, ſeu mole ſtantem tellurem ſuâ,*
*Seu curſus amnium, maris æſtuaria, lapſus temporum,*
*Tempeſtatum viciſſitudines, animantum in ſecula*
*Propagines, quamcunque denique partem contemplarier*
*Inſiſtas, perſeveres; ſtabilem ſeſe in ævum machina*
*Mundi iſtæc, quanta quanta ſpectatur, probabit & probat.*
*Advenient, ajunt, judicatum vivos atque mortuos*
2. Petr. 3. *Chriſtus, ubi eſt autem? quò receſſit adventûs promiſſio*
*Ejus? res loquitur, ex quo obdormiêre patres letho dati,*
*Sic perdurâre, uti fuêre à principio rerum, omnia.*
PLU. *Audin' Pleonecta cantionem longè diverſiſſimam.*
HYP. *Quid ad nos illa ſpinthurnices cum ſuis ſtridoribus?*
*Quæ miſeræ ominibus diris dùm terrere priora ſecula*
*Voluêre, risûs maximi munus dedêre poſteris:*
*Sine, obſecro per Jovem, ad ravim occinant ſuas liras liras:*
*His maria cum omnia incendint, igitur demùm autumes licet*
*Poſſe ambuſtaneas regno tuo eſſe, pòſt tamen, haud priùs,*
*Proin ego gratiam polfacio, ſecurus tibi volupe,*
*Tuis benè affatim facias meo periclo de tuo*
*Peculio. nunquam futura præſentia facere metu*

*Bis*

*Bis ſtultum eſt.* PLU. *euge, antiſtes, ad tuam quidem ſapientiam*
*Apollo nimius nugator fuit: jam oraculis tuis*
*Crœſum inveniſti.* PLE. *ego verò Crœſiturire fugiam pol nimis;*
*Ne Crœſus in pyrâ fiam.* PLU. *morbum Pleonectes hunc habet,*
*Non meticuloſus æquè quiſquam eſt.* HYP. *ita videtur.* PLU. *at mihi*
*Scin' ad quam rem uſus ſit operâ tuâ. Hypocrita?* HYP. *ex te ero certior.*
PLU. *A ſuperis nuptiarum illis comitiis omnem Virginum*
*Nunc avocatum concionem ibis & huc traductum.* HYP. *hanc lubens*
*Operam tibi dico, ſiquidem valdè vis.* PLU. *valdiùs nihil.*
*Antiſtiti antagoniſtam obduxero perlepidè antiſtitem.*
HYP. *Quid poſſiem periclitabor.* PLU. *eſſe miſſam, quæ occupet*
*Noſtriſq; illas conciliet nuptiis, noſti.* HYP. *planiſſimè.*
PLU. *Ipſi Securitati ſecuræ haud licebit eſſe jam,*
*Ut modò rem natam advertiſti.* HYP. *de natâ audire mavelim.*
PLU. *Dico, nec animi fallor, magno mactabitur infortunio:*
*Tùm ex arce jam inſeſſâ exturbabitur.* HYP. *dii meliùs velint.*
PLU. *In te volendi ſpes, tuos ſi eduxeris triarios*
*Subſidio, atque velitum labantem prohibeſſis manum à fugâ.*
HYP. *Fiet.* PLU. *ſed actutùm. quò citiùs occeperis, hoc ſcitiùs*
*Rem geſſeris.* HYP. *in morâ tibi nullus ero: namq; in hoc pectore*
*Habeo malitiæ promptuarium: hîc inſtructæ copiæ*
*Ad pugnam duplices latent, triplices doli, ut in Trojano equo:*
*Ipſe ego meo ſum promus pectori, Sinon ut equo fuit.*
*Simul os laxavero, nunquam ædepol Sinonibus decem*

 *Erit*

*Erit uti ſupplicem: Sponte ſuâ falſiloquia, aſtutiæ,*
*Sycophantiæ, fraudes, ſutelæ, blanditiæq́; ſubdolæ,*
*Quid multa? peßimæ ſe proruent artes omnes foras*
*Capiendo, dum dormitur, Ilio.* PLU. *ergo jam, armiluſtrium*
*Poſtquam obiiſti verbis, procul adhibendus porrò ab otio*
*Et abſtinendus eſt exercitus.* HYP. *haud pol monitoris egeo:*
*Nec tam imperitus ſum imperator, ut iſtuc me fugiat. mihin'*
*Prætervolans ut ulla occaſio calvum oſtenderit occiput?*
PLU. *Igitur obrepes, urbe etiam dum conſopitâ.* HYP. *rem modò*
*Specta, totam occupabo: & protinùs Iliadûm primarias*
*Victrice manu ducam captivas: poſtinde quo Helenam modo*
*Duces Achivûm, ſic ſecuritatem noſtram ego tibi,*
*Cum pompâ, & adoreâ multâ reducem ſiſtam: domus tua*
*Spoliis opplebitur.* PLU. *quod dî benè vortant, nunc accingere,*
*Et pugnam conſere: victorem te reducem congiarium*
*Manebit ampliſſimum, ita ſpondeo. tu Pleonecta, ut juſſus es*
*Dudùm, fac præſtines obſonium, bellaria Liberi*
*Cererisq́; lautitias & cupedias omnes, corollulas,*
*Unguenta, odores, flores, quicquid eſt ubivis gentium,*
*Voluptas unde expetitur: edeatram te conſtituo meum.*
*Coquis da, quod agant: appara cœnam amplam, opiparam,*
*dapſilem.*
PLE. *Obgeſtio hercle: argentum, age, cedo.* PLU: *tu me argentum?* PLE. *here, non ego,*
*Sed cœna talis argentum ſibi poſcit præſentarium.*
PLU. *Satis tu pol* PLEO*nectæ nomen eſſe tibi factis probas.*
PLE: *Quîdum?* PLU. *quia cùm habeas vim magnam argenti, quaſi ſemunciam*

*Non*

*Non habeas, ſic in horas ſemper plus habere poſtulas:*
*Nec apud te pluris eſt habere plurimum, quàm habeas nihil.*
PLE: *Hem verò tibi manus, eccas: argentum excoctum ſepties*
*Non purum eſt æquè, ut hæc e ab argento.* PLU: *video eſſe, & eò*
*Tagaciores & tenaciores: nec ego, quod ſcias (quidem*
*Quicquam in cœnam volo præſtinari nummis?* PLE. *vin' igitur dare*
*In cœnam & pœnam ſaturis eſuritionem?* PLU: *quas tu agis*
*Nugas?* PLE: *quid tu, malũ, nugare nolle nummis? non niſi his*
*Merx emitur.* PLU. *immò tu ex lege manuariâ manibus emes.*
*Quod tangere manu non quis, tantum fas habebis, quo manus*
*Abſtineas: cætera rape, clepe, harpaga: orbos deſpolia, bonis*
*Pupillos, ædibus everte viduas: argento credulos*
*Circumduce: abnegato creditum palàm perjuriis.*
*Poſtremò quîſcunq.* PLE. *ſat eſt, poſtremum fac atque deſine.*
*Namque iſtâ oratione volantem ſtimulo fodicas Pegaſum.*
*Mî plus ſatis Laverna infarta doctam celebraſsit manum.*
*Abeo.* HYP. *per me intrò, here, licet redeas, ſolito curatum modo,*
*Excipere dignè Virginum pulcerrimam decuriam.*

## ACTUS II. SCENA II.

### HYPOCRITA, VIGILANTIA, SECURITAS.

HYP. *Illas eſſe ædes ego autumo, quas cum diſcrimine,* Trochaici Octonarii Catalectici.
*Aut magno diſcriminis metu incauta tenet fæmina:*
*Rectâ adibo, ut commeatu & copiis juvem meis.*

 VIG.

VIG. *Exi.* HYP. *hem, quid clamoris? omen ædepol ſiniſtimum.*
*Sed foris concrepuit, aperiuntur ædes: quid rei*
*Sit, cedam receſſim & obſervabo inobſervabilis.*
VIG. *Exi, inquam, foras ſceleſta, flagitioſa, perfida.*
SEC. *Tu me extrudes? tu?* VIG. *expellam, omnes per plateas verbere,*
*Sponte ni ceſſis, agam: patent fores.* SEC. *tibi veriùs*
*Quàm mihi.* VIG. *ſcis utrine, ſi dubitas, ego te faxo, ut ſcias*
*Uuguibus hiſce venefica: quin te hinc amoves, quin te moves.*
SEC. *Quò propellis? quò me trudis, beſtia?* VIG. *nempe quò ire*
*Digna es ac pridem fuiſti, ad corvos, in malam crucem* (*tu*
*Maximam: an etiam reſtitas, & obſtinas pedem? hem tibi.*
HYP. *Proh deûm atque hominum fidem.* VIG. *ita proferre condiſces gradum.*
HYP. *Quid video? noſtra hæc oratrix eſt quidem Securitas.*
SEC. *Rumparis licet, hîc manebo & permanebo ingratiis.*
VIG. *Si vitam quidem hercle abrumpier tibi non vis, ſi ſapis,*
*Hinc tibi ætatem putabis emanendum ingratiis.*
*Illùc ſis regredere ab oſtio procul.* HYP. *fit, quod fore*
*Augurabatur Rex noſter: neſcio quæ fortior*
*Noſtram pronubam virago iſtis evallat ædibus.*
SEC. *Immò iſtùc regrediar, unde compuliſti me egredi*
*Per vim atq; ſcelus.* VIG. *parce, ne ætati tàm malè faxis tuæ,*
*Infortunium ut parias.* SEC. *nihil eſt, quod metuam.* VIG. *eſt plurimum.*
*Nam limen ubi attigeris, prægnantem multis graviſſimis*
Proverbiũ apud Feſtũ *Te faciam plagis.* SEC. *aha,* VAPULA PAPIRIA, *minaciis*

*Quaſi*

*Quaſi potiſſim occidier? tùm ecaſtor cauſſæ nil ſiet*
*Quin ſepeliar in ſterquilinio.* VIG. *pulcriùs nil convenit,*
*Ita me cœlites amaſſint, quàm luto in ſterquilinio*
*Eſſe ſepulcrum.* SEC. *ego mora, multùm quæ hanc blateratri-*
*cem moror.*
*Cede locum porrò.* VIG. *tibi porrò.* SEC. *munus ut fungar meũ.*
VIG. *Ecaſtor pudicam meretricem, quæ in caſto virginum*
*Convictu ſuum fungatur munus. quod verò illud eſt?*
*Quid feciſti?* SEC. *rem omnem familiæ accuravi ſedulò.*
VIG. *Ita ſcilicet ut iret peſſum peſſuma curaſti: ex domo*
*Feciſti hâc haram: ignem exſtinguier, frigefieri focum*
*Paſſa: ſub tenebras latebricola fuiſti non ſecùs*
*Ac ſolita in lupanari: nullus te non vidit dies.*
*ANUM AD ARMILLUM. jam tui impos ac nimio mero obruta,* Proverb. de quo Joſephus Scal. ad Feſtum.
*In multam deſtertuiſti lucem: jam ſupra modum*
*Vitiis occupata ſerendis, impediviſti ſacra*
*Studia, cantiones & preces anilibus tuis*
*Fabellis, logis ſcurrilibus: queis tanquam ſidere*
*Quodam peſtilenti mores afflare aſſoles bonos.*
*Hæc tua bella, propudium, accuratio, hoc opus, hic labor.*
*Ejuſcemodi artibus ingenium imbuta in ædes clanculûm*
*Irrepſti alienas.* SEC. *perfrictam frontem, quam iſtæc omnia*
*Sic juvat ementiri.* VIG. *ego rem ipſam intus tibi autorem dedi:*
*Te contra à me tota dicit teſtimonium domus.*
SEC. *Quale domus bruta, niſi vanum dicat teſtimonium?*
VIG. *Barda nugatrix etiam loquitare?* SEC. *nuger, ſi os tuum,*
*Aut cor vanitatis plenum habeam.* VIG. *ah, nimis tu nobilis*

*Omni*

*Omnies hominum generi ob flagitia & nequalia, queis latus*
*Cincta undique circumvagaris. nulla namque civitas,*
*Nulla gens, nullius imperii magnitudo tanta, quæ*
*Non, te diſſolvente legum ac morum nervos, perierit*
*Funditùs. quæ ſteterat contra Æacidæ vires ac minas*
*Invicta, tibi fert acceptum Pergamus rogum ſuum:*
*Abs te Babylon occupata, præda perduellibus*
*Facta eſt Perſis, atque aliis urbes aliæ quamplurimæ*
*Sirempſe modo: vigil elucus per temet ſit proditor*
*Patriæ. jam quot caſtrorum, quot exercituum, incautiùs*
*Dum ſeſe gerunt, ſtrages dediſti? quot victorias*
*Partas modò feciſti, ut abditivæ & partæ non forent?*
*Quid verbis opus? ilicet occidere vel proſperrimæ*
*Res, tua prenderit quas negligentia: mater proximæ*
*Tu ruinæ es: innumeras tu animas poſitas in lumine*
*Cœleſti, traxiſti ad inferorum tenebras improba.*
*Quæ quidem ex hiſtoriarum monumentis omnibus omnia,*
*Quàm ſolis radii eſſe, cùm ſudum eſt, ſolent, tàm clara ſunt.*
SEC. *Quid ſit affanias meras oblatrare, niſi iſtud ſiet?*
VIG. *Tu columbar impudens toties ſic me mendacii?*
*Atque hìc ſiſtis ob oculos?* SEC. *te honoris ergò ſcilicet*
*Triobolarem ſervulam fugiam? quin in malam rem abis*
*Tute, aut illò, unde ad nos advolaſti: apage ſis.* VIG. *ſiccine?*
*Pol facilè ex tuis mihi conjecturam capio moribus,*
*Quòd nolis niſi dono quodam onuſta fugam capeſſere.*
*Cape igitur, cape has ſcopas tibi in tergum, ſcopas cape.*
SEC. *Væ mihi.* VIG. *præcaviſſe id oportuit: adhuc cepiſti parũ:*

*Ampli-*

*Amplius cape.* SEC. *hei miſeræ.* VIG. *ſic datur.* SEC. *haud ultra ſum capax.*
*Mitte.* VIG. *numquid onus moleſtum fortè ſcapulis accidit?*
*Num dolet?* SEC. *te dî, quantum eſt, malè crucient.* VIG. *etiam audes mihi*
*Imprecari? ſi poſthàc te ante oſtium unquàm offendero,*
*Ita pexam, ita comptã & recoctam ablegabo, ut nova nupta ſis*
*Morti ad Acherontem futura. jam excitavi his ædibus*
*Sonticam teterrimamq́ peſtem: ſimulò bone Deus,*
*Quot ſeſe emigrarunt cum unâ peſte peſtes maleficæ?*
*Quanta claſsis vitiorum fugit? ſtupor, vecordia,*
*Inverecundia, pigrities, luxus, confidentia,*
*Impietas, incontinentia. cætera, quæ nemo videat*
*Dormitans, memorare mora eſt, vigilantibus cum prædicem.*
*Hiſce jam non modò fores oppeſſulatæ, ſed etiam*
*Occluſæ feneſtræ atque obſtructæ rimæ omnes omnibus*
*Curâq́ & operâ meâ manebunt deinceps perpetim.*

# ACTUS II. SCENA III.

## IIDEM.

HYP. *Dî deæq́ res occiſa eſt: omnis copia conſili*
*Me fugit: non nauci fuerit tàm ſerum auxiliũ meum.* Ejuſdem generis.
SEC. *Quid nunc? hâ, quid? egon' ut tàm inſignitam contumeliam?*
*Herbam illa acceperit impunè? letho equidem me peſſimo*

Satius fuat intermori. agedum, evallefacta ſim licet,
Interfecta non ſum: victa, vincta non ſum: copia eſt,
Deterior adhuc quî ſim. non jacebo, non tacebo ſic.
Proverb. apud Feſt. Quis ſcit OSCULANA num etiam depugnata PUGNA ſit?
HYP. Aleâ jactâ jacebis: pugnis illa plùs valet.
SEC. Ad fores ſcopariæ moleſtæ hoſtibo moleſtiam.
HYP. Vi contendier quùm nequitum eſt, meliùs clàm tendas plagam.
VIG. Hem, quis ad fores cum tàm impetu protervo? quis fores,
Inquam, arietat? loquere. næ tu pultando pultem tibi
Cruciam mendicas, ſtipemq́ verbeream, quiſqis venis.
SEC. Quàm diù canis latrabis? VIG. proh Deum immortalem, itan'
Fieri neutiquam poteſt, ut ſine malo quieſcat hoc
Pecus? SEC. heus tu, te volo paucis, & volo meum redimiculum
Purpuriſſum, acum crinalem, ſpinther & calanticam
Aliaq́ ad comptum meum, iſtîc quæ reliqui: res meas
Habeam æquum eſt mihi. VIG. immò æquiſſimum. ſed ad comptum tuum?
SEC. Ita loquor. VIG. quæ tu reliquiſti? SEC. ſic ajo. VIG. ubi gentium?
SEC. Hîc domi veſtræ. VIG. cur non dudùm auferebas, quæ tua
Nôras eſſe? SEC. quod fas, haud licuit: ornamentum tuum
Diſtinebat mea, quò poſſent convaſarier minùs.
VIG. Quod meum illud? SEC. quod, rogas? rabida, plagoſa protervia.
VIG. Dî te eradicent cum omnibus ornamentis. SEC. capiti hoc tuo.

VIG.

VIG. *Quanè hìc nulla cernat uſpiam Argus quiſpiam oculeus*
*Totus?* SEC. *nilne cernis?* VIG. *quod ſit aut eſſe mereat tuum,*
*Præter araneas, pædores, ſordes omninò nihil.*
SEC. *Nihil iſta ad me: Virgines laudavero ſuperſtites*
*Ipſas. quid tu videas, quid non, ciccum non interduim.*
*Illis ut viſus quantivis pretii ornatus eſt meus,*
*Sic videbitur quoque.* VIG. *attat jam me deduxti inſciens*
*In viam ex errore: ſentio ornamenta quam rem agant*
*Tua.* SEC. *quam, obſecro, agant, niſi, ut ipſa confeſſa es, veriſſimam?*
*Proin ama me, ut intromittar, fac, petitum, quod meum eſt.*
*Nec vel hoſtis hoſti invideat legere in armum, quod ſuum eſt.*
VIG. *Adeon' derepente blandiloqua tu? lenibus apparas*
*Delenire nos venenis, Circæ miſces pocula.*
SEC. *Id fieri nego: tu, quod te dignum eſt, me dignum eſſe vis.*
*Hujus ego multò prior te ſum familiaris domus.*
*Atque hoc dixerim præfiſcini, nec una Virginum*
*Me etiam accuſavit merito meo: tàm ſeriorum ego*
*Quàm jocorum particeps fui: niſi quòd operâ tuâ,*
*Nunc uti leviores erga me ſint, factum eſt nequiter.*
VIG. *Vivere ſi velint, conditione uti non poſſunt tuâ.*
SEC. *Quin valere & vivere illas, ut mos eſt, jubebo nunc:*
*Extremùm ſalutem ſine.* VIG. *non ecaſtor ſino: te ſine:*
*Sat ſalutis eſt, parum aut nihil fuerit præſente te:*
*Moriatur oportet* DEO, *per te quisquis ſalvere vult,*
SEC. *Verbo conventas, quod haud tibi noxæ erit, volo:* VIG.
*Quid velis, quid inhies, verùm nequicquã nolente me: (audio*

*Nec prædam ullam ex hoc lacu tuus hamus attrahet tibi.*
SEC. *Fac ſi quid facis, conveniam, ſine.* VIG. *quando aliud non poteſt,*
*Et ſinam & faciam ut te peſtilentiſſima peſtis, prout*
*Commerita es, conveniat.* SEC. *illâmne innuis, nomen tuum,*
*Strix, quæ poſſidet.* VIG. *abi hinc ab oculis dierectè, aut ſenties.*
SEC. *Territas me, mania, larvis, an redis, baccha, ad tuum*
*Bacchanal?* VIG. *tecum meretrice alicariâ convitiis*
*Contendere miſeria eſt.* SEC. *hercle cui homini res tecum erit,*
*Ut ſchœnicula & proſtibulum es, ſic ſchœnum ille atque ſtabulum oleat*
*Vita in omni oportet: quid video? ſatin' pro alicariâ*
*Hæc maledicta maledictis reſpondeo?* VIG. *ludo penitùs*
*Operam: exſenſum huic ad verba pectus, tergũ ad verbera eſt.*
*Quid relliquum? ut igne experiar tandem, atque huic alteri excetræ*
*Hercules ſiam. arripiam torrem flammantem de foco.*
*Heus tu, quoniam veniſti catillatum, priùs olface*
*Nidorem culinæ, fruſtulenti quàm quicquam detur,*
*Quod ligurias.* SEC. *phui, phui:* VIG. *quònã te proripis? mane:*
*Recipe ornamenta: hocce purpuriſſo ſpurcum os tibi comes.*
SEC. *Ultra Sarmatas hanc fœdam incendiariam.* VIG. *in rogũ*
*Te vivam.* SEC. *mî penè pallam aduſſiſti malefica.* VIG. *datum eſt*
*Saltem aliquod præludium: haud longinquum erit, quùm carnifex*
*Civitate cœlitum ejectæ pallam circumdabit*

Flam-

*Flammeam. nihil in rem, meus ut fert animus, conſultiùs*
*Potuit, quàm factum quod eſt: atque id adeò conſuadeam*
*Omnibus, quibus cum hominibus nequam & nihili negotium*
*Fortè incidit. illi luto ſunt perſimiles: quò plùs luto*
*Inſultatur pedibus, hoc plus collutulat lutum pedes:*
*Itidem comparata res, ſi quis jurgari cœperit*
*Cum lutulentis. ibi namq; omnis verborum velitatio*
*In luto atque cœno eſt fœda volutatio: quâ qui abſtinet,*
*Rectè illum ſapere dicas, cùm famâ ſapiat integrâ.*

## ACTUS II. SCENA IV.

### SECURITAS, HYPOCRITA.

SEC. *Indomito, impotenti animo, abſque omni modo & modeſtiâ,* Trochaici Octonarii catalect. & acatalect: alterni.
*Blitea vivo, illepida, illauta, inamabilis, tùm malevolente*
*Ingenio nata, oppleta omnibus probris, poſtquam modis*
*Tàm indignis habita ſum. vàh quàm me deûm atque hominum pudet? vix*
*Ad herum me domum capeſſere auſim.* HYP. *tota turget hæc,*
*Tota in fermento eſt: piſtricem nacta valentulam farina*
*Argutè probeq; fuit ſubacta,* SEC. *præ iracundiâ*
*Nulla conſtat mens animo.* HYP. *haud mirũ, vix ulla mitigato*
SEC. *Quid gravius toleratu unquam ſit, quàm ancillæ imperium inſolens?*

*Atque ubi regnare cœperas, illinc fugere exulatum?*
HYP. *Atqui, ô bona, mortales inter hic rerum ferè gyrus eſt:*
*Sic eunt, de ſolio in exilium, de regno in ſervitutem.*
*Nemini inſolens hoc, nemini non ſit licet grave.*
SEC. *O vindicta, quàm lubens te potiar? vitæ ſuavitates*
*Omnes præ tuis optem contemnere ſuavitatibus.*
HYP. *Sæpe odia ſui ſibi averterunt copiam profeſſa.*
SEC. *Multa geruntur more nequam & improbo, quâ publicè,*
*Quâ privatim, at omniū improbiſſimo & nequiſſimo hoc, quòd*
*Lectum, ut ajunt, ſcandunt fulmenta, ipſa quòd olla olera legit.*
HYP. *Dî boni, baſilica facinora incipiſſit prædicare.*
SEC. *Sic res habet, ancillæ crines cepêre, & domeſticam*
*Prout eſt collubitum, tractare rem contendunt: ſæpe herarum*
*Non pili ſit imperium, quando dominis ipſis quidem*
*Ancillariolis utuntur:* HYP. *iſtis hercle non apluda*
*Nequior eſt dominis.* SEC. *ſi quæ forſit eum gratiæ locum eſt*
*Conſecuta, in arcanorum ut conſcientiam domus ſit*
*Admiſſa, ejus arbitrio domi ſtare & cadere omnia.*
*Dicas, illi familia magis eſſe obnoxia cogitur, quàm*
*Filia ſæpe matri eſt.* HYP. *cum ſervis ſervitur improbis,*
*Servitutis extremum eſt.* SEC. *tùm quiſquis inter familiares*
*Offenſam Fabiæ incurrerit, is numerò heri omnem gratiam*
*Decoxit, familia excidit, herum alium quæſitum ibit.* HYP.
*ibit,*
*Si mibi auſcultare volet, cum maximâ lubentiâ.*
SEC. *Hoc adeò ex ea re uſu venit, quod, quæ famulas penes*
*ſunt*

*Arcana*

*Arcana domus, vultum eum gerunt, quo hunc intuerier*
*Solem non formident, ſi fuat orcus ſol, & lux tenebræ:*
*Uſque adeò abſque rubore pudendo apricarier haud ſuſtinent.*
HYP. *Perperàm nihil mulier iſtæc loquitur. nam arcana quî ſint*
*Aliter?* SEC. *ita flagitia celata in dominos ferè dominium*
*Concinnant miniſtris.* HYP. *proh pudor.* SEC. *atque utinam iſta ſervitutis*
*Labes tàm fœda parietibus duntaxat adhæreſceret*
*Privis, non etiam attentaret publica.* HYP. *compellarem ego hanc, ni*
*Quò ſit evaſura denique, lubeat experirier.*
SEC. *Nonne hoc publicè animum advortere licet, ancillarum amor, quàm*
*Facilem faciat ad honores & publica ad munera viam?*
*Quid enim illæ non poſſunt, quæ in magnorum & nobilium virorum*
*Serviunt cubiculis?* HYP. *procacem hìc linguam comprime*
*Alioquin datura pœnas.* SEC. *prorſus dominæ ſunt, coluntur,*
*Ambiuntur: ambitio per illarum amorem eſt ſanctitas:*
*Per amorem illarum pro flagitio petere licet dignitates:*
*Illarum amor haud rarò effugium pœnæ dat pro noxiâ*
*Commeritâ?* HYP. *Antiquum hoc & legem & morem amori poſthabere.*
SEC. *Nimiùm perversè nonnullibi quoq; res Eccleſiæ*
*Geritur, ubi quamvis rudes & indignos, qui ſacra tractent*
*Myſteria* DEI, *tamen facilè ancillaris ambitus*
*Fecerit & favor dignos.* HYP. *vah, quid blatis? neſcis tacendũ*

*De*

*De rebus,quæ Eccleſiam attinent,mulieri? haud longiùs*
*Patiar ire te. heus mulier,heus.*SEC. *cui imperes,emas oportet.*
HYP. *Reſpice hùc Securitas.* SEC. *qui nunquam meritus reſpici.*
HYP. *Nemo magis. benevolens ego ſemper vixi tuus.* SEC. *ita*
*Tales innumeri occurſant ubiq́, ne te cenſeas (credo*
*Eximiè dignum.* HYP. *hui, quàm te, mater, facis faſtidioſam?*
SEC. *Ita ſcilicet,ut tu te odioſum.* HYP. *at ſi mihi operā nō dabis,*
*Quid ago?* SEC. *hinc amove ac ſuſpende te.* HYP. *hau noſco tu-*
*um: hoc age autem:*
*Res agitur ſeria. nevis ad me? ad communem reſpice*
*Cauſſam.* SEC. *ehem, videon' Hypocritam?* HYP. *rectè uteris*
*quidem oculis.*
*Quid fit? quàm mox Virgines in Pluti adducis regiam?*
SEC. *Tàm mox,ut nunquam autumem id futurum.* HYP. *à Re-*
*ge maximo orbis*
*Terrarum paratas an faſtidiant fòrs nuptias?*
SEC. *Non fòrs,ſed enim certò. quippe alias illis ad nuptias eſt*
*Animus.* HYP. *ad cujus?* SEC. *Regis cœlorum maximi, optimi.*
HYP. *Quis, cedo, iſtunc animum injecit?* SEC. *miſſus à Rege*
*adminiſter:*
*Tum injectum ſolidè firmavit conducta Vigilantia,*
*Quæ ornatum atque cultam illis diſponat.* HYP. *quid ego nam*
*audio ex te?*
*Vigilantia cum illis eſt?* SEC. *imò in illis cum imperio ſedula eſt:*
*Totus fecit alias,alienas à nobis: nec Vacunæ*
*Jam vacatur: cura viget laborq́. ita ad ſummum* JOVAM
*Partim precibus fundendis,partim divina lectitando,*

*Rumi-*

*Ruminando, diſcendo, partim texendis veſtibus*
*Uſui indigentum horas ad clepſydram omnes exigunt: his*
*Me illinc rebus extorrem indignè fecit vigilantia.*
HYP. *Ut tu verba loqueris, torris hoc negotium uſtulavit.*
*Sed age, annon cenſes etiam illas arte aliquâ ineſcarier*
*Poſſe?* SEC. *non cenſeo.* HYP. *tecumq; eodem præmio feriri*
*Adverſariam?* SEC. *non cenſeo.* HYP. *ut iſtinc profugiat foras?*
SEC. *Nihil omninò cenſeo.* HYP. *quamobrem?* SEC. *quia lapſa*
*res foras eſt,*
*Cum pulviſculo periit.* HYP. *rem nos aut rimam aliquã procul*
*Dubio reperiemus.* SEC. *tu ſolus videris: ego redeo domum.*
HYP. *Immò etiam mane atq; audi.* SEC. *quid audiam?* HYP. *cui*
*ſi audiens*
*Dicto fueris, locum apud Virgines tuum tibi reciperabis.*
SEC. *Auſculto, quid dicturus?* HYP. *rem ego tibi haud parſim*
*dicere:*
*Ut ſis blanda & flexanima, ad ſolem meridiem te cavebis*
*Lux nimia oſtendat luminibus nimiùm perſpicacibus.*
SEC. *Quid ita?* HYP. *ſciſcitare exadverſùm ipſamet ex te, ne*
*moleſta*
*Sciſcitando ſis toties.* SEC. *ipſa ex me? non mihi mens tua*
*Ex verbis liquet.* HYP. *ſpeculum intuere, & ſat liquidò liquebit*
*Quàm procul fuges amorem vetula à contuitu tuo:* (*ſum*
*Proinde opus in novam te faciẽ vortas.* SEC. *vix queam, nimis*
*Nota.* HYP. *quaſi non habeas ad manum fucos, collyrıdas,*
*Sandicem, ceruſſam, mille pigmenta, ad frontem explicandam*
*A rugis iſtam, ad genas colorandas ſuäviter*

 *Omnis*

*Omnis ut ſpecies tua floridè niteſcat?* SEC. *jam poteſſe*
*Memet fateor: prætereà nunquid?* HYP. *ſub creperâ luce te*
*Strenuè hùc referes creperū ad duellum.* SEC. *tu irrides meas*
*Adverſas.* HYP. *minimè. benè conſultū rebus noſtris volo.* (res
SEC. *Sic tibi conſulas, cave, ne quod creperum in te decrepare*
*Doleas.* HYP. *hà, ne dî quidem iſtuc ſirint: ego mî cavero:*
*Tentemus modò uterq; fortunā, & juvabit.* SEC. *eam juvantem*
*Quamvis, ſapientes metuunt, ne in ſeſe obvertat cornua.*
HYP. *At fortes eam colunt, quamvis tonantem, quoad amicam*
*Rebus inveniant ſuis.* SEC. *ſapientem extra periculum*
*Præſtat eſſe, quàm fortem in periculo.* HYP. *tùm exiſtima, cùm*
*Vitandi præſtò eſt agonis honeſta ratio. cæterùm, ut*
*Seculum nunc eſt, jus quinque præpoſitis uni explicare*
*Magis expediat, quàm ordine recto.* SEC. *non tibi Sphingi Oedipus ego.*
HYP. *Ajo, mater, quinq; digitorum pollentiam requiri,*
*Amiſſa ut reciperes: jus huic ſeclo perparùm ſapit.*
SEC. *Virium viris in pugnâ virtutem ego relinquo: agonem*
*Extra & pulverem Securitatem meliū ſt vivere.*
HYP. *Nil periculi eſt.* SEC. *equidem ſcio nunc non eſſe, ſed futurum.*
HYP. *Nec erit quidem: ego namq; omne iſtud diſſlabo, quaſi peniculum*
*Tectorium: ego pro te, tute tuta ut ſis, omnem ſubibo*
*Aleam, ne formida: ad primam noctis facem face hùc*
*Audacter remees: ædes tibi faxo ſint magis patentes*
*Januâ Ditis.* SEC: *quando urges tantopere morem geram.*

# ACTUS II. SCENA V.

## HYPOCRITA.

*TAndem impetravi, quod volui, ne unâ plagâ*
*Acceptâ concideret. quid autem, Juppiter,*
*Non inculcandum mulieribus, ut eas bonis*
*Conſiliis obſequentes facias & viris?*
*Nam peſſima peſſimoſq; epol quod attinet,*
*Timere haud eſt, ne fiant ultrò obnoxiæ.*
*Quanquam etiamdum eſt in ambiguo, hac quid re fuat.*
*Muliebrin' an bonâ hinc ierit fidem fide*
*Servatum omnis ſecura fide Securitas?*
*Certè mihi expendendum naviter venit,*
*Quo pacto agam decenter ac probè hanc meam*
*Perſonam, ad Virgines priuſquam aditum feram:*
*Et ut rem ex voto heri mei benè tranſigam.*
*Primùm dum pietas & ſuperi reverentia*
*Tribunalis, quod eſſe volunt ſupra caput*
*Nobis, illarum mentibus amandanda erit:*
*Hoc arduum. dein cordibus vigilantia*
*Fideſq; profliganda, ſi rapi in viam*
*Deteriorem debent: hoc difficillimum.*
*Securitas cum impietate induci volet.*
*Factu nefas, ni in principiis victor ſiem.*
*Tamen defugere, quin aggrediar, non queo.*
*Nihil eſt omninò tàm invium, quin improbo*

*Labori induſtriæq; id fiat pervium.*
*Abrupta ſæpe & tranſcenſu eminùs aſpera.*
*Videas, quæ adeunti lene dant faſtigium.*
*Quid ſi ad eundem modum ſe nobis præbeat*
*Hocce negotî? rurſum horreo ac pedem ſtruo.*
*Nam ſic amictus imprudens obvenero,*
*Actum eſt. ſtatim me quadricornis pilleus*
*Iſte & talaris hæcce veſtis nigricans*
*Prodent: nec unquam aſpectum Virgines meum*
*Ferent. quare aliò conſilii vertendus eſt*
*Clavus. ſed quò? venit hoc in mentem tempori.*
*Præceptor & diſcipulus ipſe ero mihi*
*Eandem ad rem. quod enim præceptum jam dedi*
*Securitati, idem ſervabo, ita placet:*
*Capiam miniſtri Evangelici formam & habitum*
*In me, & planè hunc veſtitum immutabo meum:*
*Aut res ſuccedet, aut me fallunt omnia.*
*Tum veræ relligionis ergò me exulem*
*Simulabo factum: ſic aſtu inſidias dabo.*
*Cernetis eſſe me hypocritam, ut nomen cluet.*
*Nam licet omnis mea vita ſub perſonâ apud*
*Meos agatur, hîc agetur maximè.*
*Qui non ſum, is ero, qui ſum, is non ero: reapſe non*
*Is ſum (fatendum enim eſt, vobis hîc arbitris)*
*Qui vereatur metuatq;, ut eſt æquum, Deum.*
*At eum eſſe me oſtentabo pulcro ſchemate*
*Verborum & geſtuum. poſſum equidem ex literis*

*Multa*

*Multa ſacris docta dicta facundè loqui:*
*Et eorum notitiam hæc ætas mea ſuſtinet.*
*Verùm illa myſtica quàm longè aufugiunt meæ*
*Captum rationis, tàm procul & fidem meam:*
*Ea perinde mihi habeo quaſi folia farferi.*
*Vos iſtuc ſcibitis, quivis alii haud item.*
*Apud alios quippe omnes opere maximo*
*Annitor, ut verbi iſta deæſtimatio*
*Divini cum multis peraq; ſceleribus*
*Sub ficto pietatis zelo occulta lateat.*
*Nunc ſtat domum convorti atque meditarier*
*Modi cujuſce oratione uſus ſiet*
*Ad perſuadendum virginibus, ut nuptias*
*Nunquam alias ullas ſibi manendum exiſtiment,*
*Præter quas Plutus adornavit famulis ſuis:*
*Aut certè ſempiternis illis initium*
*Ultra aliquot eſſe præſtitutum millia*
*Ætatum. hæc diſſertationis ſumma erit.*
*Sic ego, quam ſpem promiſſis feci hero meo*
*Meis de totâ illâ decuriâ, dabo*
*Operam, ejus ut aliquid re præſtem: quod ſuam*
*Si fruſtra omninò, næ profectò ille eſſerem*
*Cum hypocrita ſibi cogitabit, & rei*
*Quod caput eſt, cum hypocrita aulico, qui morem habet*
*Benè promittendo multa ſpes alere irritas.*

# Actus III. Scena I.

## VIGILANTIA, VIRGINES DECEM.

Septenarii Jamb.

VIG. *Adveſperaſcit inclinante ad occaſum die:*
*De templi culmine æra tintinant ſonorino*
*Pulſu: populus ad ſacra hoc veſperi ſolemnia*
*Vocatur. celerem, Virgines, proferte pedem domo:*
*Auditin'? eccas, exeunt. ſic condignum in modum*
*Ornatæ incedetis munditiâ ſimplici, ſine*
*Sumptu: omnia vos decent: nihil, quod devenuſtet, eſt.*
*Vos tantùm, ſicuti eductæ & doctæ à pueritiâ*
*Eſtis, ſic oculos ferte, ſic vultum, geſtus quoque*
*Habete compoſitos: ut blanda gravitas & pudor*
*Amabilis vobis conſtet. morum probitas ſatis*
*Decorat vel inornatas: benè quæ ornatæ ſunt, & malè*
*Moratæ, omnem ſibi conſpurcant ornatûs gratiam.*
*Nunc ad Sanctæ Triadis pergite, quò tempus die*
*Vocat: cultumq; divinum peragite, ut fas jubet.*
VIR: *Hùc tota fertur mens, fervet devotio, vigilat*
*Intentio.* VIG. *vigilate: neſcitis enim neq; diem*
*Neq; horam, quâ Dominus veſter venturu' ſt cælitus.*
VIR. *Adventum ejus vigilantes præſtolabimur in fide.*
VIG. *Ita convenit: fides ardere viva & ſpargere*
*Surſum, deorſum, & undiquaque nunquam deſinat*
*Amoris flammam in Deum, in homines.* VIR. *precationibus*
*Quippe in Deum, benè merendo in homines, circùm undiq;*

*Officio ſic colendo, ut mens benè conſcia gaudeat.*
VIG. *Memoriter memoraſtis pietatis partes principes.*
*Ite ergo, & operas edite verbis rectè congruas.*
*Non ille tàm verbis ſe vult coli atque diligi*
*Quàm corde puro & operibus juſtis, qui cordium*
*Scrutator inſpectorq́, & operum gravis exactor eſt.*
VIR. *Idipſum nobis præmonſtrarunt literæ ſacræ.*
VIG. *Inſtanter unanimi invocate Chriſtum ſpiritu,*
*Veſtros uti greſſus per hujus terræ lubrica*
*Regat firmetq́, ad evitanda gravia lapſuum*
*Pericula.* VIR. *faciemus ſedulò.* VIG. *ut fiduciam*
*Sui atque amorem aliis ſubinde & aliis auctibus*
*Roboret, amplificet.* VIR. *abs re erit iſtuc prætermittere.*
VIG. *Contra illecebras carnis & omnia mundi aſpera,*
*Ut perſeveret in vobis fidei victoriam* *(proſpera,*
*Adusque finem.* VIR. *in hac demùm prece nobis omnia*
*Sunt.* VIG. *divina eloquia avidis imbibite mentibus,*
*Et fixa ſemper gerite cordium penetralibus.*
VIR. *Abſq́ illis animæ noſtræ æternâ tabeſcant fame.*
VIG. *Pro copiâ & re liberalem egenis ferte opem.*
VIR. *Haud noſtrũ eſt noſtræ dimidium rei, ſed pauperũ:*
*Quia totum eſt Chriſti: & ille ſibi unicè referet datum,*
*Animo quicquid hilari ac benevolo dabitur egentibus.*
VIG. *Mehercles eſt, de vobis apprimè cur gaudeam:*
*Ita doctè omnem tenetis vitæ ſanctimoniam.*
*Tamen hoc identidem vobis ſubjicitote memores,*
*Quantumcunque boni quiſq́ fecerit, adjuvâ Deo,*

*Id quemq; facere ſibi, haudquaquam Deo: cui nunquam opu'ſt*
*Hominum benefactis, in ſeſe ut vivat beatior*
*Ac eſt, nunquam. ipſorum refert iſtuc potiſſimùm,*
*Quàm ſint ad juſſum divinum probi ac frugi bonæ,*
*Non quòd opere ullo demereri ſibi poſſint Deum.*
VIR. *Abſit nobis, procul abſit operum omnis fiducia,*
*Quâ criſtas erigamus: vitam æternam novimus*
*Donum eſſe gratuitum, quo Chriſtus munerabitur.*
*Nos ex ſuæ promiſſionis gratiâ.* VIG. *optimè.*
*De plano humilitas regnum adit cœleſte per fidem:*
*Per meritorum ardua ruit in præceps ſuperbia.*
*Nunc deſiſto moram vobis facere. ite: ego interim*
*Domi ſervabo, & cænulam redeuntibus inſtruam.*

## ACTUS III. SCENA II.

### VIDUA, ECCLESIASTES.

Octonarii Troch.

VID. *O me miſeram, ærumnoſam, inopem: nulla, nulla ſum, occidi: nec*
*Res, nec ſpes ſupereſt: eheu.* ECCL. *vox cuja ad aures accidit tàm*
*Lamentabilis?* VID. *nuſquam reperio in terris, unde opis mî*
*Aliquid aut præſidii comparem: ah, cor rumpitur dolore.*
ECCL. *Mulieris viduæ videtur facies.* VID. *mala me cuncta circum*
*Vallant, ægritudo, luctus, orbitas, fames, egeſtas:*

Hei,

*Hei, quid reſtat, niſi cum liberis meis mendicitatem ut*
*Ultimam exſequar?* ECCL. *profectò non abſq; miſerationis,*
*Senſu poſſum hanc intueri: ita pallet, ita ſquallet, ſcabretq;*
*Macie, corporis tremore, incultâ vaſtitudine: operæ eſt*
*Pietatis opus ſuſcipere, & miſeram allocutione quadam*
*Solari: ne pro more ingenii muliebris calamitatem*
*Nimiùm exaſperet lamentando ſuam ſibi. ſalvere jubeo (vir.*
*Te, bona fœmina.* VID. *& ego te quamplurimùm, venerabilis*
ECCL. *Quid mali te excruciat? quid tantum lacrumarum ex-*
*torſit?* VID. *ô mi*
*Antiſtes, malū haud ſimplex eſt. quid prius? quid poſterius? hei.*
ECCL. *Tandē flendo meliu' ſi pauſam fieri: expromito dolorē:*
*Fieri expromptus levior ſolet.* VID. *abhinc decennium maritus*
*Mortem meus obiit, ab obiit vita mea: quid adhuc ſuperſtes*
*Vitæ animam hanc ægram traho?* ECCL. *occiderit nobis vel u-*
*niverſus*
*Mundus, Chriſto viventibus in Chriſto vera repoſta vita eſt:*
*Id ſolatio ſit. ſed perge.* VID. *ego ſervandæ reculæ, quæ*
*Fuerat orphanis meis relicta, parcè ac duriter me*
*Exin toleravi, lanâ ac telâ parans victum.* ECCL. *id fleas tu?*
*Facit è re noſtrâ Deus, quum rerum nos facit indigentes,*
*Ut honeſto inveniat labore rem quærentes.* VID. *ô beatam*
*Me, iſtud ſi licuiſſet uſque in hunc diem: verùm triennî*
*Jam tempus labitur, ex quo decumbere cœpi, cumq; morbo*
*Conflictarier graviſſimo ſic, ut ſpes vitæ abiret.*
ECCL. *Quid morbi autem, noſſe ſi fas?* VID, *domine, querquera*
*febris, illa*

*Conficere hoc corpus, vires exhaurire, eò neceſſitatis,*
*Mutuos ut fœnori rogitem nummos, adigere: decem dat*
*Aureos Pleonectes fœnerator iſtâc cautione,*
*Singuli ſibi quotquot hebdomadibus ut ferant dodrantes*
*Singulos.* ECCL. *prob ſanguinolentũ fœnus, cõditionem iniquã.*
VID. *Accipiunda talis, pignori opponenda fuit ſupellex*
*Omnis.* ECCL. *durum.* VID. *ah multò durius, quòd, poſteaquam*
*habere*
*Viſa me ſum paulò meliùs, efflicta modis peſſimis ſum.*
ECCL. *Quo pacto? tametſi odoror propemodùm.* VID. *ille irrumpere ædes*
*Intrò, exigere nomen, uſurarum de triennio ipſo*
*Uſuras putare per hebdomadas: ratio exſurgit ſtupenda.*
*Oro, obteſtor omnia per ſacra, mecum agat clementiùs, neu*
*Planè ad incitas redigar. fruſtra. negat remittere mihi*
*Semiobulum. atque hodie igitur deficiente ære in ſolutionem*
*Sectio facta rei familiaris eſt meæ rigore*
*Tanto, ut vix tegetem retinerẽ. exuta vitæ commodis ſum, heu,*
*Quo me vertã?* ECCL. *uni res fœneratori tua ceſſit?* VID. *illi &*
*Pars ceſſit, cujus habeo domum conductam, neq; jam habere*
*Ulteriùs licitum.* ECCL. *tàm ferreo & fero eſſe corde multos,*
*Ut eos neminis miſereat? pietatem interemit omnem*
*Cupiditas lucri, radicem virtutum radix malorum*
*Omnium. ſit publicum, ſit privatum, ſacrum, profanum,*
*Quid, cui rapiat, quem fœnore trucidet, nil penſi habet avarus:*
*Omne nefas fas, injuria jus, fraus laus, vis virtus avaro eſt.*
*Manet hunc deniq; ſua vindicta. tu animum deſpondere noli*

*Muli-*

*Mulier : eſt in cœlis præpotens Deus, cui noſtra curæ*
*Cordiq; omnia ſunt : cujus ſine arbitrio & directione*
*Nunquam iſta tibi evenerunt : quem tui amantiſſimum patrem eſſe*
*Ex hac autumes etiam ærumnâ. quoniam ſolemne ſemper*
*Illi, quos pro filiolis habet & plùs quàm paterno amore*
*Proſequitur, eos ob noxas caſtigare duriùs, quàm*
*Alios omnes. vileſcit, quin eviluit is, proq; ſpurio*
*Cenſetur, ſi quem crux nulla preſſit unquam : ſempiternùm*
*Crux ſalutaris & honori eſt, eò quòd Filio Dei nos*
*Conformes facit. non is, quò poſſet reclinare feſſum,*
*Habuit, caput : & tædeat nos inopiæ? feramus æquâ*
*Mente crucis acerba, dum ſpiramus : & palmæ ſüavis,*
*Quam ſperamus, gloriam indipiſcemur.* VID. *non ſum ferendo.*
ECCL. *Ex te non es : nec tolerandi ullæ vires nobis ab ipſo*
*Niſi Deo : quare uſus ad hunc confugias erit, in hoc reponas*
*Spem tuam ac fiduciam omnem. nunquam te deſtituet ille*
*Abjectam, ſed ſuſcipiet hominum ſubſidiis deſtitutam :*
*Portus erit tibi hoc in naufragio, in excidio rerum aſylum :*
*Qui parentem viduis & pupillis promiſit benignum*
*Se fore.* VID. *offuſa eſt aqua : rediit animus : auſim me meoſq;*
*Committere Deo.* ECCL. *ambiges neutiquam, quin victum atq; cultum*
*Proviſum tibi ac tuis apud bonos benè collocârit*
*Jamdudum. qui enim non noſtram egeſtatem tolerabit ille*
*Se invocantium, cujus inexhauſtæ liberalitati*
*Gratias cottidiè agunt & ob paſtum ſui volucres,*

*Et ob ornatum flores & gramina? templum, age, mecum ingredere: rem*
*In tuam id optimum eſt: quî vivas dabitur, adjuvabere: tuam*
*Cauſſam Eccleſiæ commendare haud ego deero.* VID. *ſequor, precorq́;*
*Chriſtum Ieſum, ut in Mathuſalæ te nobis ſervaſſit annos.*

# ACTUS III. SCENA III.

## PLEONECTES, MERCATOR.

PLE. *Fuge inter turbam. Brunio, ſubduc te ocyùs.*
MER. *Ehodum redde, redde: quò te ſubtrahis*
*Bone vir? itáne demptum veneras dolo,*
*Quod emptum pretio te venire oſtenderas?*
*Redde huc ſis. ſed ubi ille alter? ubi? ſumne ego miſer?*
PLE. *Quem tu hîc hominem in foro clamore flagitas?*
MER. *Hominem nequam, furacem, nullius pretî*
PLE. *Quis ille eſt?* MER. *noſtin' teipſum? perſimilis tui eſt:*
*Tecumq́; eodem incedit veſtitus modo.*
PLE. *Vites malo, vide.* MER. *centoculus ſim, haud queam,*
*Maximè ubi tu ad tabernam conſtiteris meam.*
PLE. *Quid tibi factum?* MER. *à te nil quidem quicquam boni.*
PLE. *Annon pro his ex auro neto coronulis*
*Pretium perſolvi, ut inter nos convenimus?*
MER. *Solviſſe haud inficior: ſed quorſum tot alia*
*Et alius ſubinde generis mercimonia*

*Poſce-*

*Poſcebas inſpicienda, & licitabàre nunc*
*Cingula, nunc chirothecas, nunc mantilia,*
*Nunc picta acu ſudaria, tibialia,*
*Quoq; tàm lanea, quàm bombycina, niſi ut ageres,*
*Quod egiſti?* PLE: *quid egi?* MER: *rogitas? milvio*
*Dicendum ſcilicet ad quam rem ungues habeat, &*
*Quid unguibus agat?* PLE: *tún' hominum audaciſſime,*
*Inventus, hîc qui me furti arceſſas palàm?*
*Næ tu hercle malam rem à me tibi jumento tuo*
*Arciveris.* MER: *atqui furto bona pars mercium,*
*Mihi illarum periit, quibus injectam manum*
*Et contemplationem habebas tu, velut*
*Emptor.* PLE: *mirum, ni tu emptores tibi poſtules*
*Oculis ac membris captos: merx omnis ad oclos,*
*Adq; manum æquum eſt veniat, priusquam veneat,*
*Et fiat mancupi: eáne propter fur tibi*
*Sim ego?* MER: *non propterea, tu aliò vortis, mihi*
*Mea dico ſurrepta eſſe, atq; adeò abs te quidem.*
*Nam tu quaſi empturiens tabernam ingreſſus es:*
*Tu, dum ego modicùm avortor quædam loculis ſuis*
*Repoſitum, manticulatis, quæ prendere manu*
*Fuit, fugiſti.* PLE: *mercator, facis, euge, rem*
*Digniſſimam te.* MER: *quî ſic?* PLE: *more tuo facis*
*Solens.* MER: *quid autem?* PLE: *mentiris deditâ operâ*
*Ruboris expers: ſolus nempe ego adfui*
*Tibi in tabernâ?* MER: *immò & ſociennus neſcio*
*Quis tuus, adductus à te, Geryonaceo*

 *Inter*

*Inter rapones genere cum ſenis, reor,*
*Manibus & viſcatis. quid ad rem?* PLE. *plurimùm*
*Certè: eſt enim hoc mendacium alterum, & quidem*
*Geminum: cujus pudere te nunquam poteſt.*
*Quia factum, cum depuduiſti, jamdiu eſt.*
MER. *Audes incomitem te veniſſe dicere?*
PLE. *Nec dico: illum neſcio quem ſociennum mihi*
*Aut adductum fuiſſe mehercles pernego.*
MER. *Negas?* PLE. *quin jus dabo jurandum ego inſuper*
*Conceptis verbis, quod non nôrim, neque velim*
*Noviſſe, & quòd tui nihil me ſit penes.*
MER. *Huic homini perjuria ſunt pro ludo & joco.*
PLE. *Huic homini mos alios ex ingenio ſuo*
*Probare eſt.* MER. *ablatáne reddes?* PLE. *quin reddidi,*
*Quod abſtuleram, dudùm tibi, nihil.* MER. *at tibi*
*Non abſtuleras nihil.* PLE. *viſne, bone, facere rem*
*Compendii?* MER. *enimverò nihil eſt, quod mavelim:*
*Nec eſt, quod pejùs oderim & exſecrer diſpendio.*
*Occluſiorem vaniloquam facito habeas*
*Linguam atq; hinc properiter faceſſas: nihil in hoc*
*Mercatu quæſtus eſt litigiis.* MER. *faciliùs*
*Poſſe reor prædam ex ore eſurientis lupi*
*Exſculpier, huic quàm polypo, ubi quid tetigit ſemel.*
PLE. *Si perges venditare merces putidas,*
*Profectò nil quicquam propius fiet tibi*
*Mercator, quàm pro lucro uti certiſſimo*
*Malam auferas, immò auferare malam in crucem.*

MER.

MER. *Nihil ago, præſtat abire, quàm cum hâc belluâ*
*Rixando conficere diem. ni me dii*
*Omnes atque homines deſerunt, quam hic mihi dedit*
*Fraudem, eam alii non ſine fraude ſuâ largiter*
*Penſabunt: ei rei nervos aſtutiæ*
*Meæ omnes intendam.* PLE. *mercator age, huc ades.*
MER. *Quis compellat? quid vis, malum?* PLE. *tibi prodere*
*Illum harpagonem, res unde repetas tuas.*
MER. *Nunquam te tàm benè meritum de me voles.*
PLE. *Volo maximè, niſi tu in eo es numero hominum,*
*Quibus benè ac malè merita eodem ſunt loco.*
MER. *Non ſum. quin prodis.* PLE. *prodam, ipſus neſcio quis eſt.*
MER. *Quod dicis illi nomen eſſe?* PLE. *neſcio*
*Quod.* MER. *malè pereas, ſcelus.* PLE. *ne ceſſes perſequi*
*Hominem: & cum prædâ occcdet actutùm obviam*
*Tibi ultrò.* MER. *Juppiter dîq; omnes peſſimis*
*Te exemplis perduint: ludos etiam facis*
*Me, quando rebus deminuiſti, furcifer.*
PLE. *Cognomentum tuum jam memoras furcifer.*
MER. *Cui homini dî ſunt inimici atque irati, eum*
*Objiciunt beſtiæ tali: ad damnum inſuper*
*Ut apponas epithecam contumeliam.*

# Actus III. Scena IV.

PLEONECTES: BRUNIO, STOMYLUS, PARASITI.

PLE: *Feliciter, evax, hoc furtum ceſsit: manus*
*Sic adita eſt lepidè mercatori: ubi Brunio?*
BRU: *Haud procul abs te, poſtquam hominis importunitas*
*Hinc amota eſt.* PLE: *lepidam dediſti operam mihi.*
BRU: *Quam contrà mihi dabis?* PLE: *lepidam, exoptabilem*
*Genio ventriq; tuo.* BRU: *nempe ut genialiter*
*Vivam hodie in nuptiis? ventrem ut benè farciam*
*Collativum hunc?* PLE: *& dapibus quæſitiſsimis,*
*Obſonio ſapido, vino flore Liberi,*
*Scitis pulcralibus, piſcatu electili.*
BRU: *Nimis exſulto: lepidus vivis.* PLE: *tu oſtende ſis*
*Prædam.* BRU: *en ſudaria, chirothecas, cingula,*
*Ut eleganter, ut feſtivè, ut floridè*
*Auro picta & bombyce diſcolorio?*
PLE: *Ædepol aureola, ſalmacida, bella ſpolia.*
*Sine ſudore, ſine ſanguine: quid faciemus his?*
BRU: *Conſultus abs te dixero.* PLE: *te, haud alium rogo.*
BRU: *His chirothecis, his ſudariis, viden'?*
*Pulcerrimarum aliquot amorem virginum*
*Et gratiam mihi emero.* PLE: *prior autem ego*
*Mihi.* BRU: *memineris iſtinc dimidium mihi*
*Deberier: commune oportet eſſe, quod*

Com-

*Communi operâ raptum eſt.* Ple. *viciſſim memineris*
*Tuam te mancipare modò operam mihi*
*Pro victu pollucibili: ne tu exiſtimes*
*Cœnam ullam nuptialem gratis hâc dari*
*Annonâ.* Pru. *pax. non ſeriò iſtuc dixeram,*
*Here mi Pleonecta: dum enim quod edim, quod potem, apud*
*Vos affatim invenero, quod amem, cellæ dabunt*
*Triviales.* Ple. *de raptu noſtro oſtende & alia.*
Bru. *Hæc contemplare mantilia.* Ple. *metuo hercle ne*
*Convivas faciant fures, ſi quorum orbibus*
*Tegumentum fiant.* Bru. *jam & hæc tibialium*
*Tria paria contrecta, è bilici ſerico*
*Contexta per ſtylos.* Ple. *nimis quàm egregia ſunt*
*Quâ de colore, quâ de materiâ: nec eſt*
*Pluma æquè mollis. aſſerva mihi omnia.*
Sto. *Holla, holla Pleonecta.* Ple. *cujus clamatio*
*Iſta à tergo? eugepæ, mi Brunio, tempori*
*Stomylus incedit hùc: ſiſtamus hìc gradum:*
*Spectemus pompam.* Sto. *agite, properate dum, gradus*
*Teſtudineos facitis: cervinis in via*
*Eſſe pedibus homines ſervos decet: ocyùs.*
*Curſim, celeriter pergite. quod me juſſeras,*
*Ut juſſeras, ita factum, Pleonecta, eſt: tuâ*
*Fide ab œnopola proferimus cadum tibi*
*Eccillum, ab aromatario his in corbibus*
*Tragemata bella, mellea, ſaccharata tot*
*Generum, quot hìc cucullos numeres.* Ple. *ecce re,*

*Laudo te plurimùm, Stomyle.* STO. *in rationibus*
*Utriuſq; nomen Pleonectæ extat, non meum.*
PLE. *Et utriuſque nomen in tabulis heri*
*Mei extat, curaviſtin' oppleri cadum*
*Aduſq; os?* STO. *jam os nullum habeo, quî reſpondeam.*
PLE. *Non?* STO. *pulſus articuli hujus tibi reſpondeat:*
*Hùc ſaltem propiùs mihi ſis aures admove:*
*Ecquod tu inanimentum audis?* PLE. *nullum audio.*
*Oppletus eſt pleniſſimè. quid, Brunio,*
*Huic autumas ineſſe cado?* BRU. *hui, ſuboluit:*
*Liquidò divinant de vino nares mihi:*
*Tanta eſt harum ſapientia.* PLE. *at cujuſmodi*
*De vino?* BRU. *quod quidem Opimianæ ſit notæ:*
*Futurum ſit palato delicium meo:*
*Futurum ſit ſtomacho ſtabilimentum meo:*
*Futurum rigua voluptas ſit cordi meo:*
*Futurum ſit ros frigerans jecori meo:*
*Futurum ſit condimentum ætati meæ.*
PLE: *vah, quàm politè? ubi tu, quæſo, Brunio,*
*Didiciſti ejuscemodi pigmenta ſcholaſtica*
*Orationis?* BRU: *ubi? in vino jam olim, cùm eram*
*In quadam Academiâ Germaniæ artium*
*Studioſus.* PLE: *ô rem miris mirificam modis.*
*Tun' in vino fueris ſtudioſus artium?*
*Eâdem ſiccus ſis natinans medio in mari.*
STO: *Ex me rem intelliges, Pleonecta, quomodo*
*Seſe habuerit: ſtudio-ſus erat hic Brunio,*

*Utrum*

*Utrum ingenio ſit ſus quoq́, ipſus noverit,*
*Sed ſtudio erat olim in vino maximus ſuum.*
*Sus: cæterùm in popinis, in luſtris erat*
*Studioſus artium duarum maximè*
*Scortandi & helluandi.* BRU: *væ ætati tuæ.*
*Non te ſoles reſpicere, cùm injuſtè alteri*
*Dicas?* STO: *imò ædepol, quia quàm pro re minùs*
*Multò dixi, ideò injuſtè dixiſſe tibi jam.*
*Fateor: cùm præter rem nil quicquam dixerim.*
BRU: *Quàm velles homo verax videri ſine dolo?*
STO: *Haud improbum videri, quod reapſe ſis,*
*Velle.* BRU: *at nimis improbum videri velle, quod*
*Nunquam eſſe velis.* PLE: *quo autem modo, tu Brunio*
*Didiciſti in vino comptè ac facundè loqui?*
*Hoc aliis miſſis rebus expedias velim.*
BRU: *Quem non hominem fœcundi calices fecerint*
*Facundum? aut quem fugit ex lepôre Liberi*
*Linguæ fluere lepôres & facetias,*
*Mille jocos, riſiones, mille ſuavia,*
*Saltationes, blanditias, prothymias,*
*Amœnitates, delicias rerum omnium?*
PLE: *Quaſi hæc venuſta arcerier hoc cado omnia*
*Putes?* BRU: *imò iſtuc quaſi non dudum voluerim*
*Reſponſum?* PLE: *faciamus aliud nomen cado.*
BRU: *Quod erit?* PLE: *uterus Veneris, ſiquidem mera gaudia,*
*Voluptates, amores, ridiculos logos,*
*Choreas, cantillationes, ſuavia*

*Hinc proditura eſſe in lucem auguramini.*
STO. *At enim longè aliud ſubvereri mihi venit*
*In mentem.* PLE. *quid, amabo?* STO. *concepta ne aliquot hîc*
*Sint monſtra.* PLE. *cur iſtuc?* STO. *quia Venerem hanc ſui*
*Tumoris pudet, uterum gerit ſub circulis*
*Sexûs corymbiati exemplo: næ dabit*
*Portenta partu.* PLE. *abſit.* STO. *fuiſſe antiquitùs*
*Cornutum Bacchi ſimulacrum ſcis?* PLE. *ſcio, volunt*
*Enim fuiſſe heroa in ferro acerrimum,*
*Et efferas gentes miſiſſe ſub jugum:*
*Indigetant fortem cornua.* STO. *fabulæ. trucem*
*Indigetant: & Bacchum ſenſerunt effera*
*Monſtra in animis gignere potorum & moribus,*
*Cœcum ſui amorem, ſpes vanas, jactantiam,*
*Audaciam protervam, iras, diſcordias,*
*Convicia, rixas, pugnas, ipſam inſaniam.*
BRU. *Ut tu argumenta loqueris, aut Bellona erit*
*Hæc ipſa, aut ex Patre Gradivo gravida Venus:*
*Aut certè inſania te agitat vel ſobrium*
*Stomyle.* STO. *ſanè ſapio.* BRU. *pro ſano utique homine*
*Faceres, & peſſimè ominari parceres*
*Tecum ad feſtivas nuptias itantibus.*
PLE. *Nihil hæc res te turbet, Brunio: bibentium*
*Vinum ſe commodat ingeniis, & qualis eſt*
*Quiſq; unus intus, talem producit foras.*
*Fingat ſibi Centauros & Lapithas Stomylus*
*Convivas fore: nobiſcum erunt amabiles*

*Viriq́; & fœminæ.* STO. *nec mecum unâ minùs*
*Pleonecta.* PLE. *quorſum igitur vaticinari tibi*
*Lubitum tàm ſcæva?* STO. *rationem edictavero.*
*Viſa eſt inſcitia hoc de Bacchi munere,*
*Sperare lætitias meras.* PLE. *quâ gratiâ?*
*Non ad medendam illud natum ægritudinem eſt?*
STO. *Haud pol negaſſim: verùm hoc cogites tamen,*
*Bonorum, homini quæ obtigerint in vitâ, omnium*
*Nullum eſſe, quod purum & meracum præbibat*
*Cuiquam fortuna: miſcet multifariam*
*Et diluit hæc voluptates mœroribus,*
*Cachinnos lacrymis, hilaritatem luctibus,*
*Timore ſpem, ſecuritatem angoribus:*
*Ut nulli unquam verum merumq́; gaudium*
*Suppeditet, omnis ſubacida ſit felicitas.*
PLE. *Nimis hercle odio es, Stomyle, cum iſtis ſententiis*
*Philoſophûm garrulorum gerris: nullum in hos*
*Fortuna jus habet, qui cum Pluto exigunt*
*Ætatem, qui patronum & defenſorem habent*
*Sibi Plutum: dìs carus, fortunam ſupra,*
*Solidè beatus, ſummam adeptus eſt boni,*
*Quemcunque liberaliter donis ſuis*
*Auctum vulgo exemit Pluti noſtri favor.*
*Hic ille eſt, undiquaque commeantium*
*Inundare bonorum quem confluges amat,*
*Res, dignitas, honor, voluptas, gratia,*
*Nobilitas, fama, valetudo commoda, fides,*

*Autoritas, amor, obſequelæ hominum, quies*
*Animi, jus ipſum, doctrinæ eruditio,*
*Decor ſuadelæ, de hoſtibus victoria,*
*Teſtes benevolentes, ſecundi judices;*
*Verſiculus deniq; claudet unus omnia,*
*Quicquid dignum expeti mortales judicant.*
*Aſſentiriſne Brunio?* BRU: *ita pol me deûm*
*Rex Plutus ætatem ſaturum velit, atq; idem*
*Ceres, Liber, dîq; omnes anculi adjuvent:*
*Iuratus ut affirmem, qui contrà ſentiat,*
*Vacui capitis eſſe hominem, qui nil ſentiat.*
PLE: *Quid Stomylus noſter?* STO: *fundus, ſubſcriptor eſt*
*Sententiæ veſtræ.* PLE: *is, qui fortunam modò*
*Fundum ſubmiſeræ & ſubmeræ laudaverat*
*Beatitatis?* STO: *is ipſus, quem nec vos probè*
*Noviſtis adhuc.* PLE: *os hominis; non te norimus?*
STO: *Os unum, duplicem linguam habeo: noſtis hoc?*
PRU: *Pol hautſcio an tibi quadrifida lingua ſit*
*Ad garriendum nugas.* STO: *non niſi duplicem*
*Linguam habeo, ut autumavi, ſervam & liberam:*
*Et ad omnes commodorum rationes meûm*
*Utrâq; utor pro re, pro tempore ac loco.*
*Cum vulgo agendum eſt, cumq; congerris meis?*
*Ibi loquitur libera, ſerva penitùs tacet:*
*Cum divitibus & factioſis? libera.*
*Ceu vincta muſſat, ſerva loquitur, nec aliud*
*Quàm quod ſcierim illis maximè probarier.*

*Ecquid*

*Ecquid homo bellus videor?* Ple*: næ belliſſimus.*
Sto*: Hîc de fortunâ fabulatus ſum tibi,*
*Quaſi ab eâ veniat mixta malis felicitas:*
*Fac perventum ſit in aulam Pluti, omnis aliò*
*Dicto citiùs demutabitur oratio.*
Ple*: Audio, quid didiceris.* Sto*. quod unum eſt omnium*
*Factu optimum rerum, multóq; uberrimi*
*Quæſtus nunc-homines inter, ſapere, uti foro,*
*Uti regibus, aulæ ſervire, & ut homines*
*Sunt, ita morem gerere. nam exinde vortier*
*Vult ſe omne velum, utcunq; in alto ventus eſt.*
Ple*: Didiciſti & doctas inſidias facere auribus.*
Sto*: Quid mirum? omnes captandæ gratiæ vias*
*Genus æquum eſt noſtrum teneat, ut ne deſuat,*
*Ætati quod agundæ neceſſum eſt ſuppetat.*
Ple*: Quid ſi ætatem neceſſum vos agere ſuat*
*Succo veſtro.* Sto*: quî poſſumus? nimis exſucci ſumus.*
*Ex oſſo alieno ni ſuccus ſuccurrerit,*
*Periimus.* Ple*: veſtri mores, quantum intelligo,*
*Noſtris vos geminos planè faciunt muribus:*
*Horum eſt ſemper alienum arrodere cibum.*
Sto*: Det quod rodamus uſq; & uſq; dapſili*
*Manu Plutus tuus, & mures vocitet ſuos:*
*Quid refert ad menſam ſedeas quo nomine,*
*Dum benè ſaburrato exſurgas abdomine?*
Ple*: Adeſte igitur uterq;.* Sto*: ſi quid amplius*
*Operâ eſt opus noſtrâ, paratos ecce.* Ple*: non*

*Et*

*Et pranſos additis ex veteri proverbio?*
STO. *Ita, ut vis, cum Hecate pranſos, & tantò acriùs*
*Cænaturientes: res locamus integras*
*Tibi duas, operam atq; famem.* PLE: *mihi verò haud placet*
*Conducere famelicas operas: harum ſatis*
*Domi Plutus habet, nunquam quæſierit foris.*
STO: *Enimverò genie noſter delicias facis.*
*Quid nos volebas? cur adeſſe juſſeras?*
PLE: *Hoc diligenter advertatis ut animum,*
*Quid præmeditatum honoris veſtri gratiâ*
*Habeam.* STO: *animos tibi noſtros attentos habes.*
PLE. *Cùm tota nuptialis epuli inſtructio*
*Mî ſit commiſſa, vobis muneris aliquid*
*Ut adminiſtris mandare neceſſariis*
*Decrevi.* STO: *dî magni, prudenter oppidò.*
PLE. *Non intereſſe vos patiar his nuptiis*
*Veluti mures, muſcas aut fucos deſides.*
BRU: *Dî te ad ſuſpendium adaxint, qui ſic opprobras*
*Nos nobis.* PLE: *quid tu averſus tecum, Brunio?*
BRU: *Screavi. iſtuc autem in animo habebam dicere,*
*Pleonecta, ſuſpexiſſe nos ſemper tuam*
*Prudentiam.* PLE: *profectò id experto velim*
*Accreduas, vel opulentorum principum*
*Aulas moratas eſſe nunc longè aliter ac*
*Olim.* BRU: *quomodo aliter?* PLE: *rem non celabo vos:*
*Arcent procul ventres immunes ac pigros*
*Tergendis patinis tantùm, ſiccandis ſcyphis*

*Geni-*

*Genitos: atq; ô meliora dî, quàm ut animum ego*
*Induxim tales eſum in aulam ducere*
*Noſtram.* BRU: *ecce opprobrium hominis, noſtrum opprobrium*
*Ut iterat? hoc catillone nihil iniquius.*
*Nobis has venter ærumnas creat: auribus*
*Peraudienda multa ſunt, quæ nolumus,*
*Ut, quod volumus, ſtomachus latrare deſinat.*
PLE: *Quid iterum tu tecum?* BRU: *tuſſivi, oborta erat*
*Multa meis faucibus tuſſis.* STO: *here noſter, ut*
*Tuo arbitratu cœnam mereamur bonam,*
*Cedo, illud cujus officium ſiet modi,*
*In quo navos & actuoſos poſtulas*
*Nos eſſe.* PLE: *eſt obſonii ſcindendi artificium*
*Menſas apud duas: uterq; veſtrum erit*
*Diribitor: cuiq; aſſignabo ſuam.* STO: *licet.*
*Lepidè volanti cultello iſtuc muneris*
*Obibitur: quando autem & nos cœnabimus?*
PLE: *Mecum unâ benè & opiparè & ex ſententiâ*
*Menſis ſecundis appoſitis: mecum ſimul*
*Pateris mero ſpumantibus inundabitis*
*Convivium omne.* BRU: *hâ, maturemus Bacchicam*
*Properare ad eluviem, hâ.* PLE: *quid anhelas, Brunio?*
BRU: *Hâ, neſcis.* PLE: *quid tibi eſt?* BRU: *mergendum eſt hanc mihi*
*Sitim ſceleratam, quæ fauces has tàm diu*
*Obſedit, jamq; ſe vortet in anginam, uti*
*Metuo, & gulam mihi interſtringet.* PLE: *vah, vide*

*Etiam atq; etiam, mi homo, annon expediat magis*
*Ad eluviem properare te lymphaticam.*
BRU. *Minimè expedit.* PLE. *unde ſcis?* BRU. *humana hæc eſt ſitis*
*Mea, non pecuina: lymphæ hinc ad pecudes eant.*
*Homini de vite bibere vitam eſt vivere:*
*Hanc ego ſitivi à puero, hanc ſitio, & nunc magis*
*Magisq; Pleonecta, quòd eam profeſſus es*
*Hoc veſpere nobis.* PLE. *ecce delubrum ſacrum,*
*Quod prætereundum, hos dum ſermones cædimus:*
*Ingredimúrne?* STO. *quamobrem?* PLE. *ob rem divinam.*
STO. *an putas*
*Rem divinam eſſe audire ſuaves fabulas*
*De articulis fidei, de fiduciâ, metu,*
*Dilectione Dei?* PLE. *ajunt eſſe.* STO. *novi ego*
*Te nunquam credere eſſe.* PLE. *pol haud ariolum agis.*
*Et tibi fatebor, qui animi ſit ſenſus mei.*
*Nunquam in templis ſic verba, ut nummi tinniunt*
*Domi, quoties in menſâ numerantur mihi:*
*Nummorum audire tinnitum divina res:*
*Præ nummis omnia ſacra fœtent. malim ego*
*Coactos olfacere nummos ex lotio,*
*Quam thura, quæ adolentur, dîs omnibus omnia.*
STO. *Nec unquam ego ſaturum me fieri fabulis*
*Memini.* BRU. *neque ego ſitim ſedare fabulis.*
STO. *Fides mea in cacabis fervet.* BRU. *mea caritas*
*Calet in culinis.* PLE. *atque ego ibidem unà traho.*

STO.

STO. *Relinquamus igitur jejunis ſanctulis*
*Delubra, vota, conciones, omnia*
*Sua, id optimum.* PLE. *& mehercules æquiſſimum.*
STO. *Aut certè illò vocati publicitùs dato*
*Signo pronunciemus, uti fert mos meus,*
*ALIO DIE.* BRU. *ſententia eſt eadem mihi,*
*Alio atque alio die uſque ad ultimum diem.*
PLE. *Sat in officio lingua fuit, ſint porrò pedes.*
STO. *Iô, ecce patens Pluti aula intrantes advocat.*
*Te ſequimur, Pleonecta.* PLE. *audacter ſequimini.*
*Jam tympana, jam tubæ cœnæ indices ſtrepent.*

## ACTUS III. SCENA V.

### HYPOCRITA, VIDUA, VIRGINES DECEM.

HYP. *Profectò neſcius ſum, nec ſatis liquet hoc, utrum domi*
*Mora longior me detinuerit, quàm inſtituto ſit meo*
*Conducibile. fuiſſe enim rebus gerundis moram aliâs*
*Noxiam, aliâs utibilem, id multa exempla veteris memoriæ*
*Mihi teſtatum fecêre: quomodo, qui morando improvidè*
*Stantem columnam conſiliûm ſuorum prorueret, fuit:*
*Sic qui morando providè res collapſas in integrum*
*Reponeret, non defuit. iccircò ſub dium prodii,*
*Dum lucet etiam, ad auſpicandum, præpetes quid & oſcines*
*Circa occaſum ſolem jubeant, promittant, nuncient aves;*
*Poſſimne catus emoliri, quod molior, negotium.*

*Prorſus animi pendeo de ſucceſſu, gnarus mortalium*
*Nec eſſe nec fuiſſe quenquam, qui illum conſiliis ſuis*
*Præſtiterit: ut ut præſenti animo magnũ aliquid & cũ ſpe bonâ*
*Occœperit. immò verò ex tranſverſo compertum eſt ſæpiùs*
*Fieri, quod nullus exſpectes, eò quòd rationem ſuam*
*Habet fortuna, quæ humanis rebus ſuper nos præſidet.*
*Sed ego hæc cum ventis fabulor: ad incœpta pergere ſatius.*
*Quodnam verò hîc novum ſpectaculũ obijcitur propter viam*
*Mihi? enibrũ an proſperum? valvæ patent delubri, & virgines*
*Belliſſimas emittunt, illas, an alias? numerus docet.*
*Ipſæpe ſunt nitidæ, captatum quas venio, columbulæ:*
*O ſi jam inciderint in plagas meas. nam præpetunt quidem,*
*Quanquam obliquius, & ab lævâ manu, quod fermè abominor.*
*Quid autem ſibi cum præfericulis illis lampadibus volunt?*
*Soli facem adlucere, an hac agitare noctu vigilias?*
*Hoc eſt, ita me dii ament, rem tetigi, nec fallor: Vigilantia*
*Sic ornatas dimiſit ad cultum Dei: quo nunc domum*
*Peracto ſe receptant. vah, quàm flamma eſt iſta lampadum*
*Inimica oculis meis: ſed & quoddam mendicimonium*
*Mulieris ſqualidæ obvarans auſpicio rumentum facit.*
VID: *Exoptatiſſimæ mihi Virgines, nimium eſt, quod debeo*
*Pietati veſtræ: ita ſtipe collatâ levaſtis inopiam*
*Inſigniter meam. quid ad referendum miſeræ ſit ſuper,*
*Præter vota & preces? nihil. atq; hoc mage futuro in ſeculo*
*Hoſtimentum manere vos uberrimum gaudebitis.*
HYP: *Occinuit ominoſa parra, nunc trepidanter avolat.*
*En corvum quoq; tandem poſt crocitationes ad ſuum*

*Remeat*

*Remeat nidum: benè, benè eſt, compellabo, dum ipſa occaſio*
*Invitat, dum remores abſunt aves. ô flores virginum,*
*Flores tum animi, tum corporis decòre ſpectatiſſimi,*
*Si quem vidiſtis unquam miſerum, cujus vos eſt miſeritum,*
*Reſpicite hunc, obſecro, Chriſti exulem, & miſeremini: miſer*
*Ex animo factus ſum, fortunis devolutus omnibus,*
*Profugus, vagus, extorris, ſine re, ſine lare, exſpes: pro munere*
*Mors ſit, ſuppliciũ vita eſt.* VIR: *cultus nobis equidem oſtendere*
*Miniſtrũ Evangelij videtur.* VIR: AL: *túne te Chriſti exulem*
*Profiteris?* HYP: *quippini? à juratis relligionis hoſtibus*
*Evangelicæ immani vexatus odio, contumeliâ*
*Multiplici peſſundatus, deniq; vertere juſſus ſolum.*
*Crimen erat crimine quòd vacabam, quòd Ieſum Chriſtum uni-*
*Arcem ſalutis eſſe noſtræ confirmabam interritus.* (*cam*
*Stipem, ah, ſtipem exiguam porrigite, quî vitam hanc miſeram*
*Implorare ſecundum Deum bonorũ miſericordiam* (*colam.*
*Et veſtram habeo neceſſum.* VIR: *animum bonum habe, ſi res*
*ita quidem habet,*
*Nullum ædepol benignitatis in te noſtræ ſenties*
*Deliquium. jam hîc patriam alteram inveniſti, & rerũ copiam,*
*Quî vivas.* HYP: *ô rarum benigni & miſericordis ingenî*
*Exemplum, hoc ſeclo maximè, quo Chriſtiana caritas,*
*Exſtincto ardore, conglaciavit in multorum cordibus.*
*Sed effatu difficile, Virgines, quantum doloris hinc*
*Animo indipiſcar, quantopere me pudeat mei, quòd hoc*
*Ætatis ire mendicatum cogor, vitæq; petere*
*Solatia, ſolitus aliorum mœrori ex verbo Dei*

 *Viva*

*Viva impertire ſolatia.* VIR. *fac eadem nunc impertias*
*Ipſe tibi, reminiſcare nullo genere malum eſſe, ſed bonum.*
*Inæſtimabile & omni non mutandum mundi gloriâ*
*Pro Chriſti nomine ignominias, exilia, rerum inopiam,*
*Mortem ipſam perpeti: quot hâc viâ myriades martyrum*
*Graſſatæ prenderunt coronæ ſempiternæ gloriam?*
HYP. *O utinam ejus me participem faxit Deus, iſto ergaſtulo*
*Calamitatum jamjam extractum.* VIR. *quin hoc ipſum eſt,*
*quod nos quoque*
*Deſideramus enixè, quod ſuſpiramus anxiè,*
*Quod flagitamus Dominum ac regem noſtrum indeſinentibus*
*Votis, maturet adventum ſuum, & manu nos vindice*
*In plenam civium regni ſui libertatem aſſerat.*
*Et hac quidem præſtò futurum nocte confidentia eſt.*
HYP. *Quid aiſtis? præſtò hac nocte futurum?* VIR. *videlicet.*
HYP. *quæne imminet*
*Cum ſolis occubitu nunc, & cui prodromus iſte veſper eſt?*
VIR. *Num quæ alia præter inſtantē hæc appellitari nox poteſt?*
*Niſi tu fortaſſe nobiſcum haud ſperas idem.* HYP. *ſpero ædepol:*
*Spes vota ſequitur noſtra, ſic humanum eſt ingenium: tamen*
*Vereri magnopere ſubit, ne, quod de hac memoraſtis, nimis*
*Confidenter opinemini: non rarò affert opinio*
*Vim veritati. voſne noctem vobis unam fingitis*
*Circumſcribendam centenorum aliquot annorum circulo?*
VIR. *Nunquam ſerena nos ſanctorum oraculorum veritas*
*In opinionum inducet nebulas, aut ſeducet: ea palàm*
*Demonſtrat, quam in terris nunc ducimus, eſſe horã noviſſimã,*
*Ac*

*Ac præ foribus Chriſtum Regem eſſe, rebus ut mortalium*
*Imponat finem, & infinitis perpetuandum ſeculis*
*Regnum auſpicetur: ei venire adverſùm in horas ſingulas*
*Hoc cultu & ornatu ſumus paratæ, quem vides.* HYP. *ſuo*
*Quid Joannes ævo, quid Paulus item, quid Petrus Apoſtoli*
*De exodio mundi prodiderint, tenetis, ut audio, probè:*
Filioli, *ille inquit*, hora noviſsima eſt: *iſte*, hæc ſcripta o- 1. Ioan. 2.
In admonitionē noſtri ſunt, in quos fines ſeculûm (mnia 1. ad Corinth. 10.
Devenêre: *hic verò*, appropinquavit finis rerum omniū: 1. Pet. 4.
*Et rem planè ipſam ſcriptitaſſe dubium noſtrûm nemini.*
*Sed enimverò cùm apertè diluceat ex tabulis temporum,*
*Ex quo Ioannes abiit cœleſti theſauro traditus*
*Prætervolaſſe mille quingentos annos & amplius:*
*Quot porrò credendum reſtare ſecula uſque ad illius*
*Horæ complementum, quam vivens vidit Apoſtolus ultimam?*
*Paulo in vivis Petroq; agitante finis mundi ætatibus*
*Inciderat: hunc ſi ſeſquimille & quadraginta annorum adhuc*
*Conficere decurſus nequiit, quis tandem finis, Virgines?*
VIR. *Cum hac nocte procul dubio appetit, factus tantò propin-*
*Ætatis quantò plura ſecla computantur ultimæ (quior:*
*Exacta.* HYP. *pace quod veſtrâ liceat, floccos loquimini.*
*Putata eadem fuerat ratio noſtris majoribus, quaſi*
*Rerum metam ipſi vivendo quamproximè contingerent.*
*Ut autem illos ex quadam opinione injectâ calculus*
*Malè poſitus fefellit, ſic habebit fruſtra nos quoque.*
VIR. *Siccine te hoc autumare ſeriò atq; ex animo proloqui?*
HYP. *Aliter ſi libeat, non liceat meditanti veriverbium*

*Salva-*

*Salvatoris,quo de die illâ & horâ noſſe neminem*
Matth. 24. *Quicquam affirmat,neq; Angelos cœlorum,niſi ſolum Patrem.*
VIR. *Signanter indigitare noctis hanc illamvè vigiliam*
*Aut horam, quæ Chriſtum ſit oſtenſura in celſis nubibus,*
*Temeritas impia ſit,quam noſtris exulare perpetim*
*Relligio pectoribus juſſit: tamen hanc poſt mundi veſperam*
*Quoniam propinquat nox, ejus quidem horridæ caligini*
*Lucem non aliam ſucceſſuram,niſi ſupremam illam & hominũ*
*Generi univerſo decretoriam,iſtuc certo certiu' ſt.*
*Proin te ſentire diverſum nobis miramur oppidò.*
HYP. *Date, Virgines,veniam hacce de re quædam enucleatiùs*
*Ediſſerturo.neque enim magis eſſe ſalutare ullum reor,*
*Quàm quod ſacra fit in colloquia,temporis impendium.* VIR.
*damus.*
HYP. *Ut meus eſt animus,eloquar: perſentiſcere pænè videor*
*Vobis ſuperſtitionem quandam obrepſiſſe imprudentibus*
*Ex ſervitute pendentis ab alienâ mente judicî.*
VIR. *Iſtuc ne dixis.* HYP. *non,etſi verum? expoſcit ſibi veritas*
*Dicendi libertatem.* VIR. *& jure merito, dum ſit ipſamet*
*Libera, nec præſumptæ ſuſpicioni ulli pediſſequa:*
*Tu ſi verum eſſe ſuſpicâre,quod non eſt,non dixeris*
*Verum quod eſt, niſi cum ſuſpicionem abs temet ſpreveris.*
HYP. *Sic eſt: quid autem,cum verum dixiſſe vero vicero?*
VIR. *Simul audientia,obœdientia dictis commodabitur.*
HYP. *Non vobis ſuccurrit Regno Dei eveniſſe aliquoties,*
*Ut obrutum multâ errorum atque vitiorum caligine*
*Fuerit: quam tamen aliquandiu pòſt pulcrè exorta denuò*

*Cœleſtis*

*Cœleſtis lux ſapientiæ diſcuſſerit atq; Eccleſiæ*
*Diem reddiderit emendatis vitiis atq; erroribus?*
VIR: *Succurrit utiq;, ſed quid hinc?* HYP: *videlicet, uti occœperam,*
*Nimiam ſuperſtitionem vobis imponere, ut hanc ultimam*
*Tempeſtatem eſſe ducatis: quaſi non candidiores Deo*
*Redire providente & mundo ſtante ſoles poſſient.*
VIR: *Non, quid potiſſit, inter nos, ſed quid ſperandũ, quæritur.*
*Denunciat mundo ſupremam vaticiniorum omnium*
*Iam expleta diu fides, quæ à Chriſto, quæq; ab ejus Apoſtolis*
*De rebus antegreſſuris mundi ruinam prodita*
*Legimus.* HIP: *demirer, ni ſciam, unde ſiet vobis perſuaſio*
*Hæc nata de vaticiniis adeò omnibus, cum ſint ſuper*
*Memorabiles nec paucæ res, quarum ad vaticinia facies*
*Exſpectatur benè congrua & ſtato apparebit tempore:*
*Quàm priùs illuceſcat dies magnus Domini ter maximi.*
VIR: *Hominum fidem, quid tu novi nobis occentas? fallimur,*
*Aut ex illo es Theologorum novitio fœtu, queis ferax*
*Subinde quæſitarum novitatum eſt cor inſtar Africæ:*
*Qui niſi ſua inventa oculis cornicum confixis venditent,*
*Sapere ſibi non videntur. ſic quidem ſermones ædepol*
*Conferre tecum ulterius neutiquam nobis erit integrum.*
VIR: FA: *Sorores, audiamus, quicquid eſt.* VIR: PR: *minimè.*
VIR: FA: *nihil oberit.*
VIR: PR: *Nequam verbum illud eſt, nil oberit, ſi nil quicquam*
*Fidei certè in negotio novis opinionibus* (*proderit*
*Aures identidem dare vacivas nunquam periculo*

*Vacat.* VIR. FA. *ſinite aures ille noſtras voce percellat: fides*
*Manebit imperculſa atque in manu noſtrâ: non is fidem*
*Continuò fecerit, qui verba.* HYP. *exemplum à vobis capere ſit,*
*Ignoſcite, virgines, quia commonendi animo hòc dictum volo,*
*Non exprobrandi; exemplum verò prœligati pectoris:*
*In quo veri non æquum examen ullum ex integro viget*
*Judicio, ſed iniquum repudium ex corrupto: memet quidem*
*Nunc audirier haud poſtulo: illum audite, ſultis, ſi placet:*
*Cujus ſupra omnem verba ſunt humani judicii aleam.*
*Quid apud Matthæum ait de Evangelii ſui præconio?*
*Annon fore ut univerſo orbi illud permanaſcat omnibus*
*Gentibus in teſtimonium, & tunc venturum, qui tempora*
*Mundi dies conſummet?* VIR. *id ſanè locutum in memoriam*
*Habemus.* HYP. *agite ergo, pauliſper animum mecum advertite,*
*Conſiderate, nationes quot ferat hæc terræ pila.*
*Immenſis regionum ſpaciis ab orbe noſtro diſſitas,*
*Agreſtes, barbaras, impietatis cœno merſas: quibus*
*Fando nomen Chriſti aut Evangelii ne innotuit quidem.*
*In Aſiâ magna Tartaria eſt, Sinarum populoſiſſimum*
*Regnum eſt: innumeræ propemodum per oceanum ſunt inſulæ*
*Sparſæ: latet ingens Auſtrali ſubdita tellus polo: patet*
*Hinc orbis Americæ latiſſimè porrectus ad Arcticum*
*Polum noſtrum: recenſere regiones multas Africæ*
*Abſtineo: has omnes ſi mundi partes nulla unquam Evangeli*
*Perflavit aura, quin ſit perflatura aliquando ſalubriter,*
*Dubium eſſe nequit: ut aut ad Chriſtum colligantur per fidem*
*Gentes illæ, & ſic promiſſæ fiant ſalutis compotes:*

*Aut*

*Aut æternùm ſuâ culpâ pereant inexcuſabiles.*
*Ponite ſecus futurum, & ex quorundam fors ſententiâ,*
*Orbem illum gentium nullo illuſtratum radio luminis*
*Ante reditum Chriſti, ſed perpetuæ noctis tenebris, ſine*
*Salutis ſpe, miſerabilem in modum oppreſſum iri: quomodo*
*Prædictioni Salvatoris unquam conſtiterit fides?*
VIR. *Fides jamdiu facta eſt: nec angulũ terræ ullũ aut inſulam*
*Ullam eſſe tàm remotam procul, & tàm penitùs abſconditam*
*Exiſtimamus: quin eò fama Chriſtiani nominis*
*Ac relligionis à Deo præſcriptæ aliquod præconium*
*Delatum percrebuerit his temporibus & ante hæc tempora:*
*Apoſtolo atteſtante creaturæ omni, quæ cœlo ſubeſt,*
*Evangelium eſſe prædicatum. hodie ex longinquis factũ idem*
*Palàm eſt noſtrorum hominũ cœptis inſtitui ante annos plùs mi-*
*Centum viginti ſex, & huc uſq; frequentatis omnia* *(nùs*
*Per maria & terras quoquoverſum peregrinationibus:*
*Quæ partim nationum, quas enumerâſti, fera pectora*
*Veræ pietatis erudierunt initiis, partim velut*
*Per Indias inexſtinctum Dei cultum reperirier*
*Docuerunt. uſq; adeò cauſæ non eſt, quo fateamur minùs,*
*Sonuiſſe olim, ſonare nunc ubique terrarum tubam*
*Evangelicam & cottidiè provocari ab eâ noviſſimam:*
*Quâ cum cœlo deſcendet ſeculorum Judex omnium.*
HYP. *Cordis loco peponem habere vos oportet, iſta quum*
*Tàm incredibilia creditis: quò nulli unquam miſſu Dei*
*Venere, qui ſalutis edocerent rationem ac viam*
*Ignaros, illò perveniſſe ſalvificam fidei tamen*

*Doctrinam. verùm ignota populorum miſſa facio nomina,*
*Ad reliquias Iudæorum ſaltem oculos mittite, quas ſuum*
*Intra pomœrium recipiendas ex promiſſo Dei*
*Fidelis etiam exſpectat Eccleſia; ubi ejusce temporis*
*Iam olim, omni multitudine gentium recepta, advenerit*
*Maturitas. hoc namq; ab Apoſtolo nobis myſterium*
*Patefactum eſt, quæ Iſraëli ex parte olim objecta fuit cæcitas*
*Animi, quæq; & hodie manet, manſuram haud ultrà, niſi quoad*
*Gentilium numeroſa vis, adlecta ex oris omnibus*
*Terrarum, plenè in regnum Chriſti introierit, & ſalvum fore*
*Sic Iſraëlem totum. ex quo certum eſt metu vaniſſimo*
*Quodam vos vobis anticipare judicii extremi diem;*
*Etiam ultra duo læta & felicia tempora prodictum diem:*
*Quorum altero aſciſcetur numerus plenus gentium, altero*
*Iudæa gens perveniet in communionem Eccleſiæ*
*Noſtræ, revocata ab impietatis ſtultâ pervicaciâ.*
VIR: *Numero ſubduxti tu quidem nobis rationem temporum:*
*Quæ hoc mundi ædificium ſuffulciant, & ſuffultura ſint*
*Porrò diu. vide ſis autem, ne in ſubductione te*
*Aut ratio fugerit, aut tibi calculos malè conturbaverit.*
HYP: *Minimè omniũ hoc factũ: ratio ſic mihi conſtat, uti quæ*
*Lege unquã cõſtiterit.* VIR. *vah, judicio ipſius tuo. ſuũ* (*optimã*
*Cuiq; pulcrum: nec viciſſe non poterit comœdia*
*Tua, tibimet teipſo plauſore. at enim animo viciſſim ades,*
*Atq; imbibe dicta noſtra.* HYP: *equidẽ lubẽs, nec aliud nunc ago.*
VIR: *Olea poſtquam cœleſtis ramis ex oleaſtro inſititiis*
*Diffuſa floruit, experiundo ab aliquot ſeclis cognitum eſt,*

*Stir-*

*Stirpi ſuæ ingenuarum frondium non exiguam manum*
*Coaluiſſe, & fructus Deo acceptos tuliſſe redditam:*
*Neq; id paſſim locorum ætate fieri in iſta deſinit.*
*Semper aliquos populi quondam-ſui divina gratia*
*Huc uſq; ſterili eruncatos ſolo in vitæ plantarium*
*Tranſevit, & Chriſto maritatos beatitudinis*
*Potivit unâ nobiſcum. quare apparet factum ſatis*
*Verbis Apoſtoli: Si non permanſerint increduli,* Rom: 11.
*Radici de integro inſerentur: Deus inſerere illos potens*
*Eſt: atq; ita nunc totus fit ſalvus Iſraël, ipſa Eccleſia*
*Ex nationum copiis & Iudæorum reliquiis*
*Collecta.* HYP: *abſurditatum trigis, Virgines, oratio*
*Invecta veſtra venit. nam quid? an diſcluſæ à nomine*
*Majorem partem excœcati Iſraëlis gentes nomine*
*Clauduntur eodem vobis? vis hercle eſt, quæ fit ſententiæ*
*Paulinæ. an res myſtica, quam contingere oculis fuit ac manu*
*Initio Chriſtiani ævi, ex Hebræo genere pauculos*
*Rectam inſiſtere viam, relictis procul errorum anfractibus,*
*Chriſtoq; nomina dare? an completos dicetis ordines*
*Iam gentium duci ſub vexillis Evangelicæ fide,*
*Nec ullas reſtare evocandas?* VIR: *ſi tu iſtanc rationem inis*
*De illâ credentium universâ multitudine, quando erit*
*Ex nationum ſeculis in civitatem cœlicam*
*Plenè tranſcripta, fore, ut præpollens Iudæorum deniq;*
*Numerus cooptetur in eandem, certè in articulum ultimæ*
*Iam lucis examuſſim incurriſti. itaq; in unum contrahas*
*Duo illa tempora oportebit, quæ mente malâ diduxeras.*

 HYP:

HYP. *Non video equidem, iſtud quo pacto eſt neceſſum.* VIR. *es talpâ cæcior,*
*Si non vides, completa nunquam multitudo fidelium*
*Erit ex gentibus illa, niſi in omnium dierum termino.*
*Tùm demum igitur Iſraëlis fiet converſio ad fidem:*
*Prout tibi viſum Apoſtoli prædictum interpretarier.*
HYP. *Quî fieri tùm queat?* VIR. *futura ſi eſt, nec fieri quit tamen*
*Tuo ſenſu, aut nulla erit unquam, aut jam facta diu converſio.*
*Ita tuomet laqueo obſtrictus nuſquam te habes convertere.*
*Quanquam Deo pronum atq; facile, quis inficietur? ad ſui*
*Agnitionem veram Iudæos omnes, aut potiſſimam*
*Eorum partem perducere ſalvamq; factitare vel*
*In ipſis mundi corruentis ultimis fragoribus.*
HYP. *Certúmne habetis illud ſic eventurum?* VIR. *non, in Dei*
*Manu ſalus eſt hominum: ſit ita, ſit non, providentiæ*
*Ejus commiſſum eſto. haud ſemel Dei per benevolentiam*
*Riſipiſcere & reviviſcere notatum eſt ipſo in limine*
*Mortis, qui deploratæ eſſe ſalutis per nequitiam ſuam*
*Videbantur! velut olim aquis diluvii, cùm omne hominũ genus,*
*Noâ ſuperante, exſtingueretur, abſorpti corpore tenus*
*Periere, quorum animas fides precibus excita ardentibus*
*Servavit, abſorptæ infernali ne perierent gurgite.*
HYP. *Ita ſalvus æternùm fiem, ariolamini: ſederat idem*
*Theſſalonicenſibus ex quorundam ſermonibus aut literis,*
*Qui Chriſtianæ ſe ferebant Doctores Eccleſiæ:*
*Jam tùm impendere diem Domini confirmarant. quid autẽ eos*

*Contrà*

*Contrà monuerit Paulus, non vos præterit, reor.* VIR. *ſibi*
*Ne perſuaderi paterentur monuit adeſſe tàm propè*
*Diem, nec enim adfuturum, quàm priùs revelatus foret* 2. Theſ. 2.
*Chriſti adverſarius, peccati homo, perditionis filius:*
*Qui extollitur ſupra omne, quod Deus numenve dicitur,*
*In tantum ut in templo ſedeat Dei, ut Deus, & ſe vendere*
*Atq; oſtentare Deum nil erubeſcat.* HYP. *ſat ſcitè & probè.*
*Jam quod ſtudio veri haud verebor proloqui, in ſolis jubar*
*Nondum ille prodiit, ex occulto proditurus tandem, ubi*
*Exſtirpatum imperium nomenq; Romanum ex orbe penitùs*
*Fuerit: ſicut id ipſum in memoriam tradidêre poſteris*
*Veracia antiquorum vatum atq; Sibyllarum carmina.*
*Nec abit Paulus, repreſſorem Antichriſti emergere propalàm*
*Satagentis ajens de medio iri ſublatum: is Romanus eſt*
*Status, quo perdurante etiam neq; monſtroſum illud oririer*
*Hominis prodigium fata ſinent, minùs univerſam aboririer*
*Hanc mundi machinam.* VIR. *& orbi & Imperio Romano terminum*
*Fixum eſſe eundem decreto Dei, neq; unquam funditùs*
*Præceps peſſumq; iturum hocce, niſi conſequantur omnia,*
*Sat callidè ex Daniele propheta gnarures ſumus: proin*
*Neceſſe de ſtatu Imperii declinantis loqui Apoſtolum,*
*Quod & rerum ipſe comprobatum nobis eventus dedit.*
*Etenim ad extremum diſperſa in decem regnorum cornua*
*Romana vis, haud valuit in nervo nictantem beſtiam*
*Enervis continere: quin dominæ dominatum invaderet*
*Urbis, & hinc ſuperis inferisq; jura ſe dare cœlica*

*Poſſe*

*Poſſe autumaret, illa agnum mentita cornibus, ſono*
*Terrifico autem rufi vocem emittens Draconis beſtia.*
*Quid quæris? vertens ſeculum eſt, cùm in apertâ luce viſitur,*
*Quem adhuc in antro Trophonio latitare multi ſomniant,*
*Ipſi non homines, hominum ſed meræ nugæ atq; ſomnia.*
HYP: *Parciùs, ô Virgines, parciùs: Urbis Romanæ antiſtites*
*Venerata eſt, plurimiq; ſemper relligioſa antiquitas*
*Fecit, cujus judicium nobis eſt faciundum plurimi.*
VIR: *Haud infitemur antiquiſſimis ejusce Eccleſiæ*
*Præſulibus cur dignationis delatum ſit plurimum*
*Cauſæ adſatim fuiſſe; virtuti nunquam immerito ſuo*
*Honoris obtingere pretium poteſt. caſtos enim & integros*
*Servabant mores: inviolatum depoſitum verbi Dei*
*Conſervabant: pro ſanitate Fidei adverſus hæreſes*
*Acerrimè propugnabant: ipſi ſe per modeſtiam*
*Submittebant, ut cum quibusvis aliis æquiperabiles*
*Epiſcopis: modicâ re læti, factiones atq; opes,*
*Quæq; hujus mundi ſunt, abominabant: conjugio ſuum,*
*Suum magiſtratui honorem aſſerebant; legum ſubditi*
*Et Cæſarum edictis ex ſanctorum præſcripto Apoſtolûm:*
*Deniq; Chriſti obſignare veritatem ſanguine ſuo*
*Prompti, populo fideli extollebant facem conſtantiæ.*
*Per Epiſcopos tales ſtatu felicem Romæ Eccleſiam*
*Fuiſſe nec negatur nobis, nec non dolet impendiò*
HYP: *Dolet fuiſſe? quaſi felicitas ejus mutaverit.* (*ſtatu.*
VIR: *Non modò mutavit, ſed penitùs collapſa eſt cum veteri*
*Urbs ſancta Roma ſit & Eccleſiæ veræ hoſpita?* HYP: *quippini?*
*Et*

*Et Romanenſem ipſam eſſe prædicant Catholicam Eccleſiam.*
VIR. *Ipſa Antichriſti regia eſt: ſtabulum omnis impietatis eſt:*
*Gomorrhæum lupanar eſt: aſylum fraudum atq; ſcelerum eſt:*
*Dæmonum habitaculum: ſpirituum immundorum cuſtodia:*
*Magna Babylon, mater ſuperſtitionum, errorum & cultuum*
*Fictitiorum: de cujus calice reges terræ atque incolæ*
*Omnes inebriati ſunt, cùm biberent virus melleum.*
HYP. *Jupiter, ecquando iſtæc contigerit tàm immanis mutatio?*
VIR. *Ten' admirari, tanquam harunce neſcius rerum ſies?*
HYP. *Volupe eſt audire..* VIR. *non hodie aut here contigit: multas retrò*
*Numeres oportet ætates: quando à purâ & ſimplice fide*
*Diſceſſione gradatim factâ, pontifices progreſſi eò*
*Sunt inſolentiæ, ut exſecrando faſtu in cœlum os ponerent:*
*Suisq; & humana & divina omnia ſubjicerent nutibus,*
*Tanquam cœleſtis aulæ clavigeri ac Dei vicarii.*
*Quos contra nec mutire fas, ſi maximè ut paſtoribus*
*Summis fuerit collubitum, ita ductitare populorum greges*
*Innumeros, ſecum ut fiant Sathanæ mancipia, furialibus*
*In æternum cædunda flagris. hoc argumentum illud eſt,*
*Namq; alia multa prætерimus eòdem pertinentia,*
*Quo jam olim manifeſtò ſuam in urbe ſepticolli prodidit*
*Sedem Antichriſtus. nunc autem, cum gladio Verbi ac ſpiritu*
*Oris Chriſti proſtratus & ſaucius ad mortem agat animam,*
*Quo nomine Chriſte Jeſu tibi laudes agimus, & gratias*
*Grateſq; habemus immortales, porrò aliud reſtat nihil,*
*Niſi glorioſo ut adventu tuo ejus regnum deſtruas,*

*O ſempiterne Rex, & de medio obteras penitiſſimè.*
HYP. *Quanta eſt veſtra ſapientia, Virgines, utut ipſæmet ſatis*
*Per vos, quid vos deceat, intelligatis ſine monitu meo*
*Aut cujuſquam: tamen etiam atq; etiam vobis reputandū erit,*
*Quidnam de aliis ſubinde loquitari expetatis: ne cui*
*Homini per vos mala differatur fama. capital legibus*
*Romanis fuit antiquis, occentare carmen alteri*
*Quod faxit flagitium: & vobis gnarum ex divinâ lege, quàm*
*Sit grande nefas, cum primis in bonos atque merentes benè*
*De Chriſtianâ re, maledicta jaculari.* VIR. *ultrò iſtud ſcelus*
*Ad copreas: nos tu nec in ejus ſuſpicione poſiveris.*
HYP. *Aperiam vobis, quod res eſt: ſemper pectus meum aculeus*
*Ille pupugit, quo jure modoq; poteſtas adverſaria*
*Chriſto illa queat perhiberi: cujus imperio auſpicioq; vis*
*Magna populorum concenturiata ſeſe legibus*
*Militiæ Chriſtianæ addixit, ut ævo noſtro Iapones,*
*Americani atque Indi.* VIR. *quid? hoccine tu agis? hoc tibi curæ habes?*
*Quî titulum Antichriſti Papis abſtineas Romanenſibus?*
*Sentimus jam & ſubolet ferè nobis, tu cujuſce commatis*
*Homo ſis.* HYP. *doceri cupio, num Antichriſto hæc poſita ſit nota*
*In divinis oraculis, futurum, ut Chriſto gloriam*
*Suam amplificet, Eccleſiæ fines ad terrarum extima*
*Proferat, orbiq; Fidei lumen tàm noto, quàm ignobili*
*Præpandat? ſi non, neque enim tàm ſanctum opus hoſti immaniſſimo*

Conve-

*Convenerit, evidens fuerit in exſpectatione adhuc*
*Utiq; illum eſſe.* VIR. *quo animo, quo conſilio pontifices juſſerint*
*Homines ſuos ad Indos, ad Iaponas excurrere neminem*
*Clàm eſt: ſic voluère gentibus illis, ſic nimium quantum volunt*
*Et nunc promulgarier ubique gentium ſuam fidem*
*Catholicam: ut ipſi in decretis & traditionibus ſuis*
*Adorentur: ut ad oſcula pedum proſtratos habeant ſibi*
*Reges ac principes: ut terræ opes cœlo divendito*
*Coacervent. namq; inde beatiſſimos ſe rectè agnominant.*
*Cæterùm initiandis barbaris ſacramento Baptiſmatis*
*Per Indias, per Americam, per terras forſan & alias,*
*Quia nonnulla explanari relligionis capita puriter*
*Summo neceſſitas opere flagitat; ut de vero Deo,*
*De lapſu & perditione generis humani, de Filio*
*Dei noſtram ob ſalutem incarnato, de ejus plenario*
*Lytro, nobis quod eſt redimendis perſolutum in cruce, per hæc*
*Et talia credibile eſt, nec ambigendum, quin, quod eſt ſuum,*
*Effectum Sanctus reddat Spiritus in multis: ut per fidem*
*In Jeſum Chriſtum participent vitam & ſalutem perpetem.*
HYP. *Quin hùc, nec unquam aliovorſum pontificum conſiliis*
*itum eſt.*
VIR. *Id Iaponas perſuaſum abi Papalium ignariſſimos*
*Morum, nobis haud poſſies, Suadæ medulla licet ſies.*

 ACTUS

# Actus III. Scena VI.

## SECURITAS, VIRGINES X. HYPOCRITA.

Octonarii Jambici.

SEC. *Dii omnes mihi propitii ſunt: tàm opportunè ſeſe offerunt*
*Hîc Virgines: jam opus eſt exaſciatum: adibo,& colloquar.*
*Rogare quod Rex Plutus juſſit,ô pulcerrimæ roſæ,*
*Cur,obſecro,id in ipſo nunc tempore,ut debet,non impetrat?*
*Confidit tamen exoratu uſquequaq; haud difficilem ſibi*
*Fore comitatem veſtram: familiarium ſuorum uti*
*Coboneſtatum veniatis nuptias veſtræ præſentiæ*
*Splendore.* VIR. *quænam illa mulier? numnam Securitas?* VIR.PR. *ea*
*Videtur.* VIR.FA. *neutiquam. vetula illa erat & prærancida mulier.*
*Hæc quàm bellâ, quàm nitidâ ſpecie eſt? aſpicitiſne?* SEC. *eja facite*
*Bellum officium, belliſſimæ: Pluto belliſſimo date*
*Operam hanc, ut hâc noctu cum ipſo convivatis: pulcerrimè*
*Datam locabitis operam.* VIR.PR. *valeat Plutus, terra valeat*
*Ipſa cum opibus, cum copiis, cum vitiis, deliciis ſuis:*
*Illuc ad cœleſte epulum, quo promiſimus, hâc proficiſcier*
*Noctu animus eſt.* SEC. *quaſi in terris mortalis homo quiſquam ſiet,*
*Qui vobis aut cœlum invideat, aut vos probibere poſtulet*

Cœlo?

*Cœlo?* VIR. *facit alterum Plutus, fecerit & alterum: ſuis*
*Ubi poſtulatis obſequelam noſtram conciliaverit.*
*Neque enim ſtudiis ſervire Pluti cuiquam fas, ſacris Dei*
*Quin præceptis adverſarius habeat cœlum infeſtum ſibi.*
SEC. *Næ benevolentiores hercle vos mihi atque hero meo*
*Quàm nunc experior eſſe, Virgines, ſpem certam habeo fore.*
*Nam & ſtultè facere, & ſtultè fabularier utrumq; haud bonum*
*In ætate eſt.* VIR. *tibi nos videmur ſtultiloquæ & ſtultæ?* SEC.
*Deus*
*Deûm regnator innumeris benefactis de terrà cluit*
*Mortalium generi architecto: dat opes, aurum, purpuram*
*Ad cultum: dat panes, dat vina & alebres fœtus arborum,*
*Dat ſalgama & carnes ad victum: quis percenſeat omnia?*
*Quibus uti nos non ſolùm ad tolerandæ neceſſitudinem,*
*Sed quoque ad oblectandæ voluptatem atque ſuavitudinem*
*Vult vitæ: annon igitur dementia ſiet aſpernarier*
*Dei benignitatem, vitæ uſum ſibi interdicere,*
*Mortem ultrò quaſi præcurrere, vigiliis, curis, jejuniis*
*Concoquere, macerare, defatigare ipſum ſe?* VIR. *illa pol*
*Equidem ad cultum victumq; nobis uſurpamus munera,*
*Et animis cottidiè gratiſſimis; verùm pro eo ac decet,*
*Et quo pacto ipſemet præcepit, frugaliter ac ſobriè.*
*Tuus autẽ herus ad abuſum vocat: hunc deteſtamur animitùs.*
SEC. *Nullo modo unquam, Virgines; ad cœnam amanter vos*
*vocat*
*Magnificam, lautam, à Rege condignam & vobis dari: vocat*
*Ad opimitates maximas & gaudio effertiſſimas:*

 *Ubi*

*Ubi nimis lepidè ſit vobis unguentis, vino, victibus:*
*Ubi miſceatis colloquia, riſus, jocoſq; blandulos,*
*Lætasq; identidem choreas ducatis cum ſimillimis*
*Veſtri, formâ ſpectatis juvenibus aut illuſtribus viris.*
*Triclinium omne perſonabit muſicis concentibus:*
*Non auribus, nec oculis, nec odoratui, nec guſtui,*
*Nec tactioni honeſtæ erit voluptatis quid deliquum.*
*Sic corpora atq; animi veſtri reficientur ſuaviſſimè:*
*Abigentur omnes curæ: melle fel vitæ edulcabitur.*
*Neque hic abuſus rerum, ſed germanus uſus eſt, frui*
*Quoad uſq; defruamur rebus: quod nimis, ab, quàm adeſt pro-*
*Ob vitæ numero aufugientis brevitatem momentaneam. (pè,*
*Quare, dum licet & dum datur, patimini vobis benè*
*Eſſe: exporgite frontem: bonis præſentibus fruimini.*
*Natura poſcit, jubet humanitas, Deus nihil invidet.*
VIR. *Immò illa vitæ brevitas nobis injicit manum, & monet;*
*Cum damno pietatis vel horam ne dare voluptatibus*
*Juvet: quando cum Chriſto ſuperi conſortes regni ſumus.*
*Hoc namq; in nobis inchoatum cum eſca aut potus non ſiet,*
*Sed juſtitia & pax dia gaudiumq; in Sancto Spiritu,*
*Utiq; hanc pacem, hocce gaudium ne cōturbent, minùs auferant*
*Nobis vana atq; evanida gaudia mundi, adhibenda cautio eſt.*
SEC. *Nimia præcepit mentes veſtras relligio, quantum datur*
*Cognoſcere. quàm multos & hæc & omnis tulit ætas viros,*
*Sapientiâ, & vitæ morumq; caſtimoniâ inclytos?*
*Quorum nunquam tàm ingenio duro, nec tàm firmo pectore,*
*Quiſquam fuit, quin, ubi data eſſet occaſio, ſibi faceret*

*Benè,*

*Benè, & moleſtias vitæ deponeret in vino & joco.*
*Et vos illud fugitis, tanquam infandum atq; inexpiabile*
*Sit peccatum?* VIR. *cauſæ, conſuetionem familiarium*
*Pluti, ſat eſt, cur remigio veloq;, quantum poſſumus,*
*Fugitemus.* SEC. *ecquid, amabo, cauſæ? ubi bonorum affluentia*
*Ubi copiarum & virtutum theſaurus eſt: beatitas* (*eſt:*
*Hîc ipſa ſui proma eſt, largè fruendam ſe vobis dabit.*
VIR. *Perditio eſt, quam beatitatem falſò nomine venditas.*
SEC. *Dona Dei & virtutes ſunt, quas vero ſic nomine nuncupo.*
*Euthymia, magnanimitas, munificentia, honor Pluto aſſident;*
*Prompti ditem uberemq; ſui facere convivis copiam.*
*Diſpoſuit omnem Munditie pulcra ſupellectilem domus:*
*Stat Elegantia ad bellè miniſtrandum cœnantibus:*
*Auro, argento, cryſtallo adornatam ſiſtentat delphicam*
*Opulentia: fundet Largitas merum, ut ſibi quiſq; popoſcerit:*
*Curæ Hoſpitalitati eſt facere menſas epulis gliſceras;*
*Humanitati gratiâ omnes jungere fideliſſimâ;*
*Modimperatrici Modeſtiæ edendi atq; bibendi modum*
*Cujusq; ex genio temperare. & cum his unâ eritis, Virgines:*
*Cum his vobis bellè erit ſine ullo vitiorum contagio.*
*Quid eſt, cur noſtram ſic abhorreatis conſuetudinem,*
*Non ſecus ac genio caſſæ atq; ingenio ſitis Timoneo?*
VIR. *Cauſam expromemus, ut ſcias, cum Pluto ſunt rabies rei*
*Quærendæ, amittendæ metus, verbi ſacri faſtidium,*
*Impietas, ambitio, faſtus, luxuries, helluatio,*
*Libido, contemptus legum, petulantia, turpis aſotia.*
*Harum infici convictu velle nos cenſes? ô Chriſte ne*

*Tan-*

*Tantum malum. longè præſtiterit morte interfici.* SEC. *bona*
*Verba, obſecro: ſunt, Virgines, fateor, permulti ſunt, quibus*
*Nihil ſui impertivit Plutus, eos odium quoddam ad malè*
*Tàm ipſimet, quàm familiæ dictitandum incendere aſſolet*
*Semper: neq; hoc novum, in triviis, in vicis omnibus obviũ eſt.*
*Vos horum iniquis commoveamini vocibus? indignum erit*
*Sapientiâ veſtrâ. tantillum date modò precibus meis*
*Loci, ut veniatis in rem præſentem: diſpeream funditùs,*
*Ni non auro contrà expetendam ſitis inventuræ.* VIR. *ain'?*
SEC. *Ajo planiſſimè.* VIR. *ſcin' tu, quid eſt?* SEC. *ubi dixeritis,*
*ſciam.*
VIR. *De mundo electis haudquaquã allubeſcunt mundi inania:*
*Nec temerè quicquam humani neq; divini blandiloquentulo*
*Accredere ſtat mundo: plerorum flagitiorum infamiâ*
*Flagraſſe in mundo Plutum exinde ab antiquo conſtat nimis.*
SEC. *Oh, quoties fama præſenti in re mendax inventa eſt rei?*
*Vos famæ contra rem ipſam adhibebitis fidem? non veri amor*
*Patietur iſtud in vobis. quare ulteriùs abſiſtite.*
*Gravarier, rogo, Virgines, rogo: ſtat menſa referta dapibus:*
*Circumſtant famuli: exſpectant vos cõvivæ, tàm juvenes viri,*
*Quàm fœminæ, formâ ac virtute florentes: vos omnibus*
*Deſideratæ advenietis, & adventu facietis hilares*
*Hilariores veſtro: nec munera in vos Plutus congeret,*
*Sed opes ſuas.* HYP. *hem, ita me dì, cantionẽ ſuavem & vinnu-*
*Luſciniæ illicis hujus: ſpes eſt hac elecebrâ in aream* *(lam*
*Perductum aves iri. quid, ſi mea nunc ſuccentet fiſtula?*
*Ita pol faciet, & tempus eſt. proh dì ſuperi & medioxumi,*

*Condi-*

*Conditionem cujuſmodi, vocari ad lautitias meras,*
*Vocari, ut poſt cœnam abeas locupletatus donis regiis?*
*Talem ego ſi repudiaſſim, nunquam animi mei aut mentis ſatis*
*Sim ſanus.* VIR: *ehò tibi quid interpellatio aut acceſſio eſt*
*Huc in conſilium noſtrũ?* HYP: *eodem pacto facilè abſceſſero,*
*Quo hùc acceſſi: verùm homo ſum, Virgines, exul, inops, fa-*
*melicus:*
*Quærere vocationes parùm honeſtũ eſt viſum antidhac quidẽ.*
*Nunc quid agam? nemini negare poſſum, qui eſum me vocat.*
*Perdoceat artes multas paupertas, pudorem dedocet,*
SEC: *Quiſquis es homo, quando inopem te ac miſerum video,*
*certum eſt tuam*
*Non verbis, ſed reapſe ſic ſolari inopiam, ut deſinas*
*Eſſe miſer, ſi expetis quidem.* HYP: *nihil hercle magis: & ô tibi*
*Quas gratias piiſſima fœminarũ, agam?* SEC: *unà cum hiſce*
*Proficiſcier properabis ad nos: optimæ date Virgines (jam*
*Manus veſtras, & me ſequimini.* VIR: *noſtras manus tibi,*
*Quam ignoramus qualis ſies aut quæ? immò ſic potiùs, ut has*
*Servemus unico Chriſto dandas, deſponſæ nuptiis*
*Cujus ſumus, & innoxias à te, Plutóq; & omnibus*
*Suis. ducem te minimè gentium ſequimur.* SEC: *lubens ego*
*De honore vobis cedam: ibo ſecundùm: vos, agite, ite præ*
*Eccillam ad Pluti regiam, quæ vos excipiet regiè.*
VIR: *Immò illam ad cœli regiam. nam Sponſo eundum eſt ob-*
*viam:*
*Iam jam cœlo fulgebit ejus majeſtas ac gloria.*
SEC: *Hui, nimis iſtud longum tempus literarum erit trium.*

VIR. *Longúmne?* SEC: *ſic, quia bis trinum.* VIR: *argutula nos in re ſeriâ*
*Ludit joco.* HYP: *nondum adeò Sponſi tàm propinquus appetit*
*Adventus, quin cœnatum eatis & bonis utamini*
*Dei donis ad virium refectionem: nec minùs*
*Veſtris, prout æquum eſt, comitati ſitis benevolentibus.* (*taces*
*Nunquam pote, Virgines, Deo iſtuc ut diſpliceat.* VIR: PR. *1. non*
*Tu?* VIR: PR. *2. mirum, ni illæc atq; hic pariter de compacto rem gerant?*
VIR. PR. *3. Ex verbis utriuſq; id planè res loquitur.* VIR. PR. *4. quin recipimus*
*Domum nos, & ſermonem penitùs ſegregamus illicò.* (*duint.*
VIR: PR. *5. Quin facto opus eſt, ne verba nobis imprudentibus*
SEC. *Reſtate vos, bellatulæ reſtate: audite verbulum.*
VIR: FA. *Sat verborum eſt.* SEC. *ſaltem unum.* VIR: FA. *quid vis?* SEC. *quod pietatis integro*
*Nomine poteſt, id exorare: capeſſet hic nobiſcum iter*
*Dei miniſter: duce Deo, comite hoc, nonne omnia tuta? quid*
*Vos dubias habet?* HYP: *euge benè; quinq; reſtiterunt.* VIR: FA. *& libet,*
*Et metus eſt.* SEC. *res unius horæ ſaltē aut ſummùm alterius eſt*
VIR: PR. *Cavete illò vos penetretis, ubi exitii conciliabulum eſt,*
*Sorores.* SEC. *apage exitium. vita, ſanitas, ſalus viget*
*Apud nos in amicitiâ & gratiâ bonorum.* VIR: PR. *credulas*
*Vos circumducent. multa lethales angues viridaria,*
*Et dicta delenifica virus animæ opertant noxium.*
SEC. *Cœlum terramq; teſtor, quod ſine omni malitiâ malâ*

*Vobiſ-*

*Vobiſcum agã.* HYP: *nec ſirit in me bujus pietas ambigere vos.*
SEC. *Addo etiam,quò major mihi fiat apud vos fides.* VIR: FA. *quid eſt?*
SEC: *Quocunque temporis momento noſtri ſatias ceperit*
*Vos,non homo natus vobis objexit moram, è veſtigio*
*Quin ad vos arbitratu veſtro capiatis vorſoriam.*
*Satin' hoc planè,ſatin' hoc diſertè prolocuta eſſe videor?*
VIR: *Sorores,quid agimus?* SEC. *quod dudum oravi,quodq́ eſt in manu.*
*Næ rem juſtam facilemq́ à juſtis impetrarier decet.*
*Procedite lepidæ,vos ſubſequemur: ut in gemmâ annuli*
*Pretium ſitum eſt, ſic nuptialis quoque noſtri convivii*
*In vobis æſtimatio & decus. & lepidam profectò eo*
*Pacto famam formæq́ virtutiq́ veſtræ addideritis:*
*Ut quæ faciles aliis vos concinnare ametis, atque ita*
*Quoſcunque demereri,modò non indignos,ne quod migret*
*A vobis ullum humanitatis officium: id laudi datur.*
HYP. *Retineri hercle nequeo,quin hujus conſequar ſententiam*
*Mulieris,ita claret: nunquam non odio & probro fuit*
*Virtus moroſa, ſibiq́ ſoli quæ perpetuat vivere.*
*Quippe ejus haud aliud meritum eſt. quid cum faſtu forma? nihili eſt.*
*Nimorum affabilis eam in vitæ uſu venuſtet ſuavitas.*
*Eò vos arbitror,quàm compares veſtras, ſapientiùs*
*Multò facere, quando ſic vivitis Deo,ut civiliùs*
*Morem modumq́ victitandi haud abdicetis.* VIR. *verùm apud*
*Plutum quid fiet hiſce lampadibus noſtris?* SEC. *exſtinguier.*

*Non utiq; eas voletis?* VIR: *neutiquam.* SEC: *ponite metum:*
*in atrio*
*Poſitæ vigilabunt & vivent.* VIR: *certóne?* SEC: *luminaria*
*Cernetis plus trecenta, queis alimoniæ noctu affatim*
*Per excubitores ingeritur.* VIR: *eſtne hoc, quod dicis?* SEC:
*admodum.*
VIR: *Et lampades ſalvæ futuræ?* SEC: *ſalvas exhibebo ego.*
*Potin' ut fidem interponenti mihi fidatis?* VIR: *eamus igitur.*
HYP: *Pereamus, erat dicendũ. nam de hac re nullũ eſt negotiũ.*
*Quàm pulchrè has quinq; noſtris inſidiis palumbes ducimus?*
*Herum hoc noſtrum lubentiorem faciet, quàm ipſa lubentia eſt.*
SEC: *Pax, ne quid forte inaudiant.* VIR: *priusquã acceſſimus*
*propè,*
*Aperitur oſtium, ecce.* SEC: *ſic ſolet ferè: verberum inſolens,*
*Et delicatum eſt oſtium: vocatos admittit ſuâ*
*Sponte. ſed ex oſtio quid? auditin'?* VIR: *ſymphoniacum melos*
*Dulciſſimum, ehem.* SEC: *qui prodeunt foras?* VIR: *cum ſertis*
*tubicines.*
SEC: *Adventum gratulaturi vobis ex more ſcilicet*
*Crepero tubarũ ſonitu.* VIR: *in foribus auratus quis ille? quis?*
SEC: *Eſt ipſe Plutus.* VIR: *Plutus ipſe?* SEC: *pol & ipſiſſimus*
*quidem.*
*Hoc tanto honore vos honeſtat, ut ipſemet ſeſe obvium*
*Vobis ſiſtat: in eum veſtros amplexus mittite, Virgines:*
*Hilarem ſumamus hanc noctem: quid craſtina ſit latura lux,*
*Divis permiſſum eſto. Tara, tara, tara, taratantara.*

ACTUS

# ACTUS IV. SCENA I.

## VIGILANTIA, ECCLESIASTES.

VIG. *Hoccequid negotî? dividiam ſic incidiſſe*
*Inter Virgines? exiſſe decem, rediſſe tantùm.*
*Quinq;? proviſo, ubinam conſiſtant, in publico quid*
*Rerũ agant, qui vir, quæ mulier illa, cùm quibus tàm*
*Longum ſermonem exſequuntur: id quod virginum vix*
*Suſtineat pudor modeſtus. inventas domum fax*
*Hæc reducet mea. verùm ubi? ubi? in hac certè plateâ*
*Dicebantur reſtitiſſe. comparere nuſquam.*
*Cerno. aliáne perſequar viâ? neque hîc, neque illîc.*
*Me infelicem. omnia cùm oſtendat fax, oſtendere haud quit*
*Unam illarum, quas volo. teneo rem: periêre quinq;,*
*Exceptæ inſidiis ſunt.* ECCL. *vox Vigilantiæ foras me*
*Exciet.* VIG. *tenebræ peſtilentes. abſque damno*
*Et malo vix ullam terris noctem obduxerîtis,*
*Memet à præſidio publicarum abſente rerum.*
ECCL. *Quid rear huic incommodi hoc primordio obtigiſſe*
*Vigiliarum? præſagit mihi animus neſcio quid.*
VIG. *O lucem bonam; virtutum operibus lux amica es:*
*Luce virtus clareſcere vult, teſtem habere lucem.*
ECCL. *Num, quia contenebraſcit, hæc ſe luci præficam dat?*
VIG. *Fraudibus favet nox, autor noxæ audacibus, nec*
*Facilis unquam ſuaſor ejuſce, quod innoxium ſit,*
*Atque in poſterum diem igitur pœnitentiæ expers.*

ECCL. *Hòc mage faciundum, in ſtudiis ut lucubrère honeſtis.*
*Nox eſt, quâ potiſſimùm vigilantiæ vigere*
*Munus oportet: luci non opus, ipſa ſibi vigilia eſt.*
*Sed percunctabor quid ſit: res nulla, quod ſit ægrè,*
*Dare profectò quibit huic, quin eadem attineat ad me,*
*Mihi idem det. Vigilantia heus, ſatin' ſalvæ? foras quid*
*Egreſſa?* VIG. *periimus, ah, periit dimidium ſalutis.*
ECCL. *Cui homini, aut quibus?* VIG. *domui noſtræ.* ECCL. *id vindex ſalutis*
*Humanæ æternùm prohibeſſit.* VIG. *pol ego iſtuc adæquè*
*Voveam: quod factum eſt, ſi mutari poſſet vovendo.*
ECCL. *Quin rem aperis.* VIG. *nimiâ caſtigata decumatione*
*Noſtra decuria eſt.* ECCL. *quo pacto? non cuncta illa de re*
*Divinâ domum reverſa tibi eſt?* VIG. *non, proh dolor, non.*
*Interceptas quinque hoſtis vafer & fraudum potens ad*
*Seſe ac nuptias ſuas traduxit.* ECCL. *quando?* VIG. *modò jam,*
ECCL. *Hà, deplorandam tàm parvi agelli calamitatem.*
*Tantam decollaſſe nobis & rem & fructuum ſpem?*
*Hoſtis ille quis, bona Vigilantia, tot inter hoſtes?*
VIG. *Quèm facilè nôris vulgo notiſſimum.* ECCL. *quis autem?*
VIG. *Dæmon ille, quem ſuum ſibi vendicant dynaſtæ:*
*Cui referunt in acceptis clypeos ſuos & arma*
*Nobiles: cui jura, leges, mores ſervitutem*
*Serviunt: cui ſupplicant propolæ, nautæ, opifices,*
*Omnia civium genera ob lucrum: quem pauperum omne*
*Vulgus autorem venerari audet felicitatis:*
*Qui paſſim loci ibridas, meretrices, aleones*

*Omnia eſſe facit: quem propter verſificant poëtæ*
*In triviis, & concionatores ſæpe manes*
*Impios laudationibus ſuis ad aſtra*
*Tollunt.* ECCL. *pauſa. ſat ſcio de argumentis eſſe Plutum.*
*Haud temerè olim in mentem venerat mihi, cum recordor,*
*Iſtud de Pluto, uti nunc accidit, prænunciare.*
*Et ad hujuſce nuptiales comeſſationes*
*Semidecuriam noſtram eſſe pellectam refers?* VIG. *ſic.*
ECCL. *Hoc malum veterem poſcit jure exclamationem,*
*O factum malè.* VIG. *peſſimè hercle ex illarum ſalute.*
ECCL. *Cœlo decidiſſe ad Orcum cenſeas.* VIG. *nec abs re.*
ECCL. *Quorum hominum operâ iſtuc putem eſſe effectum.* VIG. *ut ſuſpicari*
*Fas, hominum, qui legatu ipſius venêre Pluti*
*Virgines affatum, ſycophantiis doliſq;*
*Egregium in modum inſtructi.* ECCL. *fraudũ ſcelerumq; plena*
*Terra, mortua ſimplicitas.* VIG. *adventitaſſe quendam (eſt*
*Narravêre habitu veſtro, aſſimulaſſe obveritatem*
*Quaſi in exilium actus ſit, jactitaſſe martyrem ſe,*
*Et vitæ rogaſſe ſuppetias.* ECCL. *hoc tempus illud*
*Exoptatò accommodum lupis prædantibus ſub*
*Indumento ovium: væ ovibus.* VIG. *protinus autem dediſſe*
*Semet captâ occaſione in diſſertationem*
*Atque de mundi exitu argumentis ſic putâſſe,*
*Hujus ultra curriculum noctis etiam remotum*
*Quamvis longè abeſſe.* ECCL. *en vafritiem, meditatus adiit,*
*Qui malè cautas in ſoporem vitæ collocaret*

*Secu-*

*Securæ. ſed argumentis? noſtin'? unde ſumptis?*
VIG. *Ex ſacris, ajebant, literis.* ECCL. *vah, ex ſacris? jam*
*Novi, mos hic pellicatoribus eſt dogmatiſtis*
*Scripta ſacri canonis verbo prætendere, interim ipſum*
*Ad ſuorum errorum phaſmata contorquere canonem.*
*Ex hoc quid conatus demonſtrare?* VIG. *primùm ubique*
*Terrarum ſementem Evangelii oportere plenam*
*Fieri adusque gentium meſſem, quæ colligenda*
*Chriſto reſtet: deinde Judæos, ceu ſpicilegium*
*Ultimum, coacervatum iri eôdem: tum potenter*
*Ex ſuis erupturum latebris regnum Antichriſti:*
*Nec fore unquam, ut antè fatali exitio Univerſum*
*Hoc pereat.* ECCL. *certè hîc ipſus ſe prodidit ſuopte*
*Mendacem prophetam indicio, ſcripturæ ſiniſtram*
*Ex ſuis dare figmentis interpretationem*
*Auſus. flagitia hominum, ſibi pro ludo habent in*
*Doctrinâ ſalutis perplexari, & facere ludos:* *(ipſis*
*Scriptum non ſcriptum eſt, & non ſcriptum ſcriptum eſt, quod*
*Lubet. argumenta quid illa? abierûntne tacita? namq; his*
*Acceſſiſſe noſtras temerè credita nefas ſit.*
VIG. *Singulis immò acriter repugnatum eſſe credas.*
ECCL. *Laudo* VIG. *& ſolliferreis telis ſolutionum.*
ECCL. *Euge.* VIG. *famam fidei noſtræ terras pervagatum*
*Eſſe omnes.* ECCL. *probè.* VIG. *ex ſegete Hebrææ Chriſto mani-*
*Benè multos ſacratum per tot ſecla deſtinata* *(plos*
*Gentium ſaluti.* ECCL. *rectè.* VIG. *regnum autem Antichriſti*
*In propatulo, ac dudum ita conquaſſatum verbi ariete*
*Divi-*

*Divini, ut minitetur exſpes extremam ruinam.*
*Proinde ſuæ non poſſe diu ſuperſtitem ſenectæ*
*Eſſe mundum.* ECCL. *epol rem adhuc pulcrè geſtam.* VIG. *hoc ſteiiſſet*
*Fine modò, jam fando accepiſti malè eſſe geſtam.*
ECCL. *Per Pluti miniſtros dixeras.* VIG. *miniſtrum habes: vin'*
*Quoq; miniſtram?* ECCL. *miror, & quò evadat in metu ſum.*
VIG. *Sic habeto, diſſertationi ad umbilicum*
*Adductæ mulierem quandam de Pluti familiâ*
*Velut à machinâ ſuperveniſſe.* ECCL. *monſtri aliquid hæc*
*Res alit.* VIG. *oppidò quam mulierem ſpecie eleganti,*
*Eloquio expedito, perſuaſtricem, perlecebram.*
ECCL. *Mulierem ſiredona mihi, & infortunium ipſum*
*Prædicas.* VIG. *hanc blandè & benedicè occœpiſſe noſtras*
*Illicere, prenſare, perpellere, pænè obſecrare,*
*Dignarentur familiarium Pluti intereſſe*
*Nuptiis, magnifico & regio ſumptu apparatis.*
ECCL. *Non animal ullum muliere pejus inveniri,*
*Nec mage verſutum arbitror, cùm blanditur, rogat, flet*
*Subdolè: ab aliis ægrè caveas, à muliere nunquam.*
VIG. *Blanditias contra omnes obdurarunt deſtinatæ,*
*Quas domus recepit: reliquæ offrenatæ dolis &*
*Precibus, heu, manus dederunt.* ECCL. *cui?* VIG. *Securitati.*
*Hanc peſtem illam tàm pernitiosè blandam fuiſſe*
*Quovis pignore contendim.* ECCL. *falleris, ô mea.* VIG. *velim equidem.*

ECCL. *Non fuit Securitas illa, fuit turbo ventus:*
*Qui naviculæ confregit ratem noſtræ, & coemptas*
*Chriſto in mare merces excuſſit, fluctibusq; mundi*
*Involvit. Deum immortalem, ubi natant? quò feruntur?*
VIG. *In gurgite natant voluptatum: in mortis charybdim*
*Anferentur?* ECCL. *abſit omen.* VIG. *nolet abeſſe, dum adſunt*
*Ibi quidem, ubi fœda Libido nuptum datur Helluoni.*
ECCL. *Scilicet hæ nuptiæ apud Plutum?* VIG. *omninò.* ECCL. *& his puellæ*
*Quinque virgines ſe incautim miſcuêre?* VIG. *factum.*
ECCL. *Ah, ah Vigilantia, quid ego tibi fatear? niſi te*
*Et verè ominaſſe, & illas interiiſſe planè*
*Perpetuum in modum.* VIG. *nil deſperandum etiam videtur.*
ECCL. *In turpi helluantium libidinantiumq;*
*Contubernio quænam redivivæ ſpes ſalutis?*
VIG. *Multa per Dei miſerentis propitium favorem.*
ECCL. *Hoc quidem indubium. favor ille affulgens cœlitus ni*
*Mortis ex faucibus ereptas conſervaſſit, actum eſt.*
VIG. *Sed & humanâ, optime vir, tentandũ eſt ope, perditis quî*
*Subveniatur.* ECCL. *quâ licet quidem, & fieri pote.* VIG. *eſt, cùm*
*Sæpenumerò rete jaculum retrahit ad ſalutem*
*In mare prolapſos, & ſubmergi periclitantes*
*Nautas: dummodò auxilio porrectum tempori ſit.*
ECCL. *Eſtné huic ſimile quicquam, in hoc periculo auſpicandũ*
*Quod fors cenſeas?* VIG. *tibi verò hoc, ut Pluti ad aulam*
*Conferas celocem ſpeculatum foris, quid intus*

*Fiat,*

*Fiat, quæ convivii facies, quo Virgines ſe*
*Se gerant modo, num quæ opportunitas earum ad*
*Te electandi ſit: tùm porrò ut exhortatione*
*Naufragas tuâ ex undis luxuriæ ad ſanctitatis*
*Ac fidei portum ſubducas. hunc tibi laborem*
*Conſilio meo ſumes.* ECCL. *lubens, nec quicquam erit, quod*
*Detrectem te comite & adjutrice.* VIG: *tecum ero pol.*
*Sed domo nefas abeſſe.* ECCL. *quî nefas?* VIG. *rogas? hoc*
*Noctis contuere. noctuabunda hanc per umbram*
*Quà non divagatur? quò loci ſe non penetrat?*
*Ubi non affectat rerum Securitas potiri?*
*Non vici, non oppida, non & priveræ domus, non*
*Caſtra atque arces ejus ab aſſultu ſat tuta ſteterint.*
*Virgines quinque habeo, quas curem, domi relictas:*
*Illas pol ut ego hodiè ſervem, cura maxima eſt. hàc*
*Præter cùm adverſarius noſter Diabolus iſtoc*
*Selucernio potiſſimùm circùm ambulet, ceu*
*Rugiens leo, quæritans, quem devoret, egon' unquam*
*Commiſſas fidei meæ committam, uti in periclis*
*Tantis ſolæ & incomitatæ ſint?* ECCL. *benè, judico iſtàc*
*Rectiùs domi manendo te facere: vigilare*
*Tecum ut inſtanter jubeas, & ſobrias ſe habere*
*Ad perpendiculum: tum fortes in fide Diabolo,*
*Ut par eſt, reſiſtere.* VIG. *ſcis medicam ægris opem adhibendum*
*Sic eſſe, ut, quod ſanum eſt, deſerere atq; dejuvare*
*Nunquam animum inducamus.* ECCL. *procedo igitur ad fores* Hypermeter.
*Pluti*

 *Explo-*

*Explorator ad horæ quadrantem, ſi fortè. nam me*
*Excubias illic agere, ab officio meo alienum eſt.*
VIG. *In arenâ conſilium. prout offenderis rem, ita ex re,*
*Quid tibi optimum factu ſiet, dijudicabis.*

# ACTUS IV. SCENA II.

## ECCLESIASTES, PLUTUS, CONVIVÆ.

Septenarii Jambici.

ECCL. *Quàm ſcitè ex re atq; veritate ſcriptum Antiſtiti eſt*
*Id Hipponenſi auro contrà non carum inter alia?*
*Blandum periculoſiorem mundum hunc eſſe, quàm*
*Moleſtum ac mage cavendum, quùm diligier illicit*
*Seſe, quàm quùm admonet cogitq; contemni. huic rei*
*Perſpicuo ſuut illæ documento Virgines, dolo*
*Securitatis ad Plutum jam mundi in vincula*
*Conjectæ. ob quoties, & quàm diligenter inſtiti,*
*Ac perſtiti cobortarier illas, ne ullo modo*
*Terræ hujus animis avidis concupiſcerent opes;*
*Ut quarum amor faciat inopes opum cœleſtium?*
*Neve hujus cupidè expeterent vitæ delicias ſibi,*
*Quaruus fruitio transfigat intus hominem toxico:*
*Evitarent, Sirenios ceu ſcopulos, omni ope*
*Atque operâ carnis illecebras, his quippe animam in Deo*
*Perimi viventem: abominarentur, velut oſtium*
*Acherontis, has voluptates mundi, magno nimis*

*Quæ*

*Quæ conſtent ſpiritalis gaudii diſpendio:*
*Quibus ætatem pars hominum maxima dum malè prodigunt,*
*Semet malo hoſtias prodiguas ſiſtant Dæmoni.*
*Animis contrà fixum aſſiduò monitum revolverent*
*Apoſtoli, quo ait, erudiri gratiâ Dei*
*Nos, impietatem & cupiditates ſeculi mali*
*Ut abnegantes temperanter & juſtè & piè*
*Vivamus hoc ævo: & ſic præſtolemur in dies*
*Beatam ſpem adventumq́ gloriæ magni Dei*
*Et Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. hæc illa ſunt*
*Atque in eam rem compluria: quæ noctes ego & dies*
*Propemodum cantavi, quæq́ inculcavi ſedulò:*
*Quo autem fructu profectúve, id jam ex eventu patet.*
*Cunctis audire ſalutaria lubido equidem fuit:*
*Obaudire illis quinq́ cupido conſtans haud fuit.*
*Deſtruxit blanda mundi ſpecies vim conſtantiæ.*
*Vicit Securitas, quas nulla rerum adverſitas*
*Fregiſſet, vicit dulcium verborum faſcino:*
*Fecitq́ ex corculis excordes, ex ſapientibus*
*Fatuas adeò, ut ſalubrium monitorum memoria*
*Exciderit omnis. illò ſuſtinuêre abducier:*
*Ubi dum, palato quod ſit ſuave, ſues liguriunt,*
*Cœli palatium ſuſpicere curæ non habent.*
*Quid agas? fiunt & facta ſunt hæc, nil querimoniæ*
*Juvant. regio, niſi fallor, hæc eſt & quidem domus*
*Eccilla habitata Pluto, quam collucentem obtuor*
*Lychnis facibusq́ totam. næ toti eſt quædam pharus*

 *Quaſi*

*Quaſi huic plateæ: ni pietati ſit ſimul rogus*
*Quidam, aut Erebi fumarium.* PLU. *puere, age, aſcendito*
*In has feneſtras, in oculis ut omnium ſies:*
*Occipito nobis, proinde uti conſuetus antidhac,*
*Sinciniam cantionem aliquam ſuavem & cinædicam,*
*Quâ polles, ſuccrotillâ voce. certum eſt omnibus*
*Hoc lætificare hodie convivium modis: ubi*
*Perpruriſcamus uſque ex unguiculis, quotquot ſumus.*
ECCL. *Papæ, quid ad aures? quantum ſtrepituus, plauſus, jubili?*
*Quæ cantillationes? qui riſus? vitulantium*
*Quæ voces?* PLU. *ſic, amici, vivamus, dum vivimus.*
CONV. *Jô, jô, jô, Pluto noſtro feliciter,*
*Nobis beatè jô.* ECCL. *proh, quanta diſſolutio?*
*Mera hæc mapalia ſunt, aut ſylva quædam Nævia.*
CONV. *Jô rundà, rundà, rundà dinella jô.*
ECCL. *Sic nempe ſollemnia bacchantur lurcones ſuo*
*More, nimis immemores poſt iſta bacchanalia*
*Jam fore, cum dentium ſtridore & crepitu apud inferos,*
*Ut reſideant perpetuas eſuriales ferias.*
CONV. *Jô, jô, jô, Sponſis novis feliciter,*
*Nobis benè ac beatè, jô. rundà dinella jô*
*Rundà, rundà, dinella jô.* ECCL. *quòd vivere in diem*
*Sibi beſtiæ videntur, atque beatum illud putant,*
*Non vivunt, ipſæ epulis ſibi parentant funebribus.*
*Comburitur vino uncta vita Veneris ignibus,*
*Sine morte comburenda Acheronticis mox ignibus.*
*Ah, quàm me Virginum miſeret? deteriore haud queant*

*Eſſe*

*Eſſe loco. quam, quo pacto opem feram infelicibus?*
*Incertum mihi, quid occipiſſam. hoc pultem, & evocem*
*Foras? nequicquam. aſini me mordicibus ſcindant, boves*
*Incurſent cornibus: nil certius. novi, hoc caput*
*Quàm carum Pluto, & ejus ſimpulonibus ſiet.*
*Jam intrò quem mittere queam, notum invenio neminem:*
*Nec eſt, ut quenquam mittere nomine meo poſtulem.*
*Abeámne ergo? quid aliud? moras hîc nectam cui bono?*
*Video & diſcrucior animi eſſe omnia perditiſſima:*
*Video interſeptas eſſe vias, quà auxilium commeet.*
*An id patiar, ſi quis familià iſtâc fortè exeat,*
*Huic me ſalutatorem exiſtimarier, fores*
*Ante obſeratas qui gradiatur, Pluti gratiam*
*Petitum? apage ultrò. non ego Perſarum mihi aureos*
*Montes ab iſtoc meream rege. abire præſtat hinc:*
*Quandoquidem & ipſe remoræ ſum mihi, nec, queis volo,*
*Eſſe uſui poſſum. Deum omnis miſericordiæ*
*Patrem veneror, lapſis ignoſcat peccatum ſuum, &*
*Mentem ad ſeſe quamprimùm redeundi bonam duit.*

# Actus IV. Scena III.

## HYPOCRITA.

Senarii.

*Omnes inter philoſophaſtros, præq; omnibus,*
*Rarum ſpecimen fuiſſe continentiæ*
*Frugalitatiſq; perhibent Xenocratem,*
*Hominis ſtatuam, ſive hominem corde lapideo:*
*Cui vitam caſeolus potuit tuerier.*
*Quippe abfuiſſe tantùm, ut formoſiſſima*
*Phryne illum delenimentis meretriciis*
*In Venerem, ut ne in riſum quidem modicum lepos*
*Aut ludus ullus emollire potuerit,*
*Et tetricæ nubem frontis ad horam ſolvere.*
*Sic perhibent: ego, quid hujus ſit veri, haud ſcio:*
*Nec temerè quicquam etiam antiquis aſſentior.*
*Solent ſapientuli iſti temperantiam*
*Vultu compoſito mentiri ad vulgus foris,*
*Domi clàm ſaturitate inebriarier.*
*Hoc certum, apud nos nuptiis his Xenocratas*
*Decem, ſi interfuant, lepidè poſſe Veneri*
*Malaciſſarier aque hilareſcere medullitùs:*
*Ita omnes accipiuntur feſtivo in loco*
*Feſtivis & ſuavibus ecaſtor modis:*
*Et ventum ad nos lætantur, & ovantes nimis*
*Sibi gratulantur; jure. nec enim rivulo*
*Quodam, ut vulgares nuptiæ & convivia,*

Sed

*Sed ipſo flamine deliciarum permadent*
*Hæ noſtræ. nihil in terrâ rerum eſſe omnium*
*Natum oblectandæ hominum vitæ, hinc quod abſiet*
*Autumo: nam quid nummis tibi non præſentibus*
*Optes? quid optatum non & cum dis feras?*
*De Virginibus ut dicam, quas adduximus*
*Hùc dudùm, illas quidem, ut diſcubuere initiò,*
*Sive inſuetudine, ſeu quo tacito mentium*
*Angore, cernere triſtes confuſasq; erat:*
*Dejectos attinebat in gremium pudor*
*Oculos: non mutiebat lingua verbulum;*
*Tanquam Angeronæ ſuſciperent ſacrum deæ.*
*Et viſa eſt dehoneſtando res convivio.*
*Mox tamen & facies pedetentim & mutare mens*
*Animi: dum non deeſt officio Securitas,*
*Nec operæ parcunt adſeſtrices axites.*
*Hæ ſingulas affari, hortari blanditer,*
*Et invitare oratione venuſtulâ*
*Ad vivendum: ut res & fructum rerum ſibi*
*Submittant, naturæ deſiderium expleant*
*Cibo potuq; mœſtitudines fugent*
*De corde vanas, donis gaudeant Dei.*
*Non modò ſalivam commovit guſtatio*
*Prima, & condimentorum ſapida gratia:*
*Acceſſit liquida ſuavitas ſymphoniæ,*
*Feſtiva convivarum hilaritudo meris*
*Facetiis, jocis, cachinnis perſtrepens,*

O Tum

*Tum ipſius candidâ propinatus manu*
*Regis, & in orbem circumlatus dulcifer*
*Cantharus. his rebus næ pulcrè effectum, ut benè*
*Nunc ſeſe habeant, atque animis ſint lubentibus:*
*Noſtriſq́ condignè moratæ moribus*
*Vivant. ſui ipſarum eſſe oblitas propalàm*
*Cernas. bibunt, rident, jocantur, amoribus*
*Non indelectantur: fugit pia gravitas:*
*Intepuit nuptiarum ardor cœleſtium.*
*Quin ipſam adeò extremi diei memoriam*
*Per amorem noſtri crediderim eſſe emortuam.*
*Tanti nimirum in utramvis partem intereſt,*
*Quorum ſocietati quiſque ingenium ſuum*
*Inſiſtat dedere: ut aut permaneat, ſi ſiet,*
*Frugi, aut nihili fiat, ſi frugi non ſiet.*
*Verùm iſtæc mihi jam comprimenda oratio eſt.*
*Ipſas video ad choreas hoc in atrium*
*Educier: potum ego revertor ad meos.*

## ACTUS IV. SCENA IV.

PLUTUS, PLEONECTES, STOMYLUS, BRUNIO.

PLU. *Agite flatores, ad choros & tripudia*
*Lætificos temperate fortiter modos.*
*Avet irriguum mero corpus moverier:*
*Læti ſtudio vigeſcunt ſaltandi pedes.*

Poſt

Poſt primam choream.

PLU. *Sic, quod comeſum eſt ac bibitum, in venas probè*
*Ad Veneris digerendum optata gaudia eſt:*
PLE. *Saltemus, jô: vegetis ſaltationibus*
*Vires vireſcent excitatæ alacriùs.*
*Hanc tibi florentem florenti Rex ducimus,*
*Quicum.* PLU. *amplector lubens. vos ritè atq; ordine*
*Cunctos volo ſive jubeo me conſequi.*

Poſt ſecundam.

PLE. *Jô ſodales, flos hic noſtri temporis:*
*Dum in flore vernæ habere roſæ fas tempora.*
*Florum brevis eſt, & vitæ noſtræ gratia:*
*Agamus in flore voluptatum hoc floreum.*
STO. *Agamus omnes: iſtuc ſapere & vivere eſt.*
*Ite, genus miſerum, curæ & ſollicitudines:*
*Tibi nos Voluptas addictos ætatem habes,*
*Adſis viventibus: quia nulla es mortuis.*
PLU. *Linguis favendum: abeſto mortis mentio,*
*Si quis faxit, vitæ eſto exanimalis ſuæ.*

Poſt tertiam.

PLU. *Ubi ſunt iſti ad plebem clamoſi Stentores,*
*Nugarum crepitacula vana inſanis deûm;*
*Qui lætitias & lautitias has invident*
*Nobis? hæc nox tranſacta ſic ad hunc modum,*
*Hà, hà, quantam declamitandi in nos dabit*

*Segetem?* PLE. *dabit unâ ſcordalis quod maximo*
*Dolori ſit, here.* PLU. *quò doleant ergo acriùs,*
*Facite, omnis perſonet noſtris vicinia*
*Plauſibus. evax, jô, jô, jô, jô.*
*Linquamus ubique gaudii veſtigia*
*Noſtri: nec ſit, quà luxus non pertranſeat*
*Noſter, locus uſpiam: hæc ſors noſtra.* PLE. *hoc præmiũ,*
*Quod unum eſt pro cunctis vitæ laboribus.*
*Evax, jô, jô, jô.*

## Poſt quartam.

BRU. *Cœlum tenete ſuperi: nos hîc dî ſumus.*
*Non ambroſiam veſtram, neque pocula nectaris,*
*Neque choros concupiſcere, neque gaudia*
*Lubet. facta eſt per Pluti munificentiam*
*Hæc terra cœlum nobis, & cœlo amplius.*
PLU. *Euge hoc ob dictum, Brunio, ſex aureis*
*Te donatum volo.* BRU. *ſis æternùm ſoſpes, ô*
*Salus mea, ſanguis, anima, vita, cor meum,*
*Deſiderium, honor, ſpes, felicitas mea,*
*Rex Plute regum.* PLE. *vah Brunio, votivus hic*
*Excipiet vini cantharus votum tuum:*
*Amyſtide hunc tibi totum ob ſalutem heri.*
BRU. *Imò hercle malim ob immortalitatem heri.*
*Vivat, vivas.* PLE. *obe, pænè me defecerat*
*Spiritus in argento.* BRU. *mirum, cùm ſpiritum*
*Ducas in argento.* PLE. *evacuatum funditùs.*

*Viden*

*Viden'* BRU. *video,& viſum eſt,te multò maximam*
*Præſtare fidem in vacuando.* PLE. *par facias, vide.*
BRU. *Aquam jubes bibere, ſiccam ſpongiam in aquâ.*
*Hic non modò cantharos, fundos quoq; nominum*
*Scit homo evacuare funditùs.* PLU. *ebò tubicines,*
*Pergitin' exercere agiles agitandis choris?*
BRU. *Honori dandum Regis, ut iſtuc ſtrenuè*
*Educam: tibi ſponſe Helluo deſponſum ſiet.*

Poſt quintam.

PLU. *Ecaſtor delaſſavit hæc tàm longa me*
*Chorea: remigrandum ad menſas interiùs, &*
*Libandum dîs bonis cenſeo, quod mos jubet.*
PLE. *Simul nobis reſpirandum intereà loci*
*Ego cenſeo.* PLU. *cenſemus uterque jus bonum.*

## ACTUS IV. SCENA V.

### VIGILANTIA, VIRGINES PRUDENTES QUINQUE.

VIG. *Itan' vos hinc foras proripitis, Virgines? quid iſtuc? quò* Octonarii Scazontes
*Concedere paratis tam multa nocte? numquid has ædes*
*Deſertũ planè itis?* VIR. *prorſum imus, rurſum nec placebit, nec*
*Conducet.* VIG. *ebò, nõ? quianã.* VIR. *factæ lamentariæ iſtæ ædes*

*Sunt nobis, pòſt à dimidiatâ noſtri quàm coli parte,*
*Heu deſita ſunt.* VIG. *quid fieri vultis? diffingier non vult,*
*Quod eſt factum. nec mirandum, hacce tempeſtate complures*
*Salutis tramite devios abripier per voluptates*
*In vitiorum Lernam. vos vino aliis ſomnóve demerſis,*
*Hòc alacriores ſobriis mentibus ad excubandum eſſe.*
VIR. *Curabitur, noſtræ quantum eſt opis, porrò ut etiam ſimus.*
*Sed enim regredier, unde greſſum extulimus, haud placet.* VIG. *non vos*
*Ædepol ad demigrandum domo aliquâ levitate compelli*
*Rebor, quando ea tàm complacita eſt diù.* VIR. *temerarium haudquaquam eſt*
*Si in tantum nos tædet habitationis in hoc tabernaclo*
*Terreſtri, quanta tenet habitaculi cupido cœleſtis.*
*In his vitæ tenebris degere peregrinatio eſt triſtis:*
*Cum Chriſto æterna luce perfrui, hæc habitatio læta eſt.*
*Anne igitur juſta cauſa, peregrinationis ærumnas*
*In terris ſpernere, ut beatæ habitationis in cœlis*
*Capiamus fructũ?* VIG. *næ juſtiſſima: & lætor equidẽ impensè*
*Vobis deſiderio præcordia æſtuare tàm ſancto.*
VIR. *Ut curſu anhelans properat cervus ad aquarum algidos (fontes.*
Psal 42. *Sic anima noſtra clamitans ad te, Deus ô Deus fertur,*
*Tuæ convulnerata caritatis igneo telo:*
*Te vive, ſitiens vitæ, feſſa malis requirit. ô quando*
*Quando illa dies erit, ſerenam ante faciem tuam quæ nos*
*Statuat lætas, lubentes?* VIG. *nunc ego teneo, ſcio nunc, quid*
*Hoc ſit negotii: amor nimius, cœleſtis ardor iſtâ vos*

*Domo*

*Domo cupidas eduxit.* VIR. *rectam inſtas viam.* VIG. *atq; fors idem,*
*Quod relliquum eſt vigiliarum, dependere juſſerit vos ſub*
*Æthere nudo.* VIR. *neq; hic erras. licet intempeſta nox æthræ*
*Sidereæ lucem abſtulerit: amorem animus, animum oculi nexu*
*Perpetuo conſequuntur. commoratur adhuc loci noſter*
*Amor in ſupernis: atq; illùc cùm animi vis, cordis affectus,*
*Optio voluntatis, fibrarum motus omnis erectus*
*Vigeat, num aliubi defixos oculos tenerier noſtros*
*Fas ſit, quàm cœlo, unde amor apparebit noſter?* VIG. *beatas ter*
*Et amplius vos: quia jam uſurpaſtis cœlum ac Dei regnum:*
*Quum cœli autorem regemq; fidei atque amoris amplexu*
*Stringitis.* VIR. *& nos ulteriùs teneat luteũ iſtud tabernaclum*
*Infece hac temporum, caligine rerum, ſordibus morum,*
*Sentinâ ſcelerum? ubi crux aliqua ſemper eſt mala, pios quæ*
*Potiſſimùm exagitet & vitæ innoxios, quieti ne*
*Sint unquã.* VIG. *pietas, Virgines, roſa eſt: quæ naſcier nunquã,*
*Nedum florere quit ſine malorum cruciatuum ſpinis.*
*Quin hujus floridiſſimum ſtatum vitæ laborem atque*
*Dolorem eſſe aſſeveravit, quod noſtis, vir Dei Moſes.* Pſalm. 90.
VIR *Novimus edoctæ quã verbis ejus, quã rebus atque uſu*
*Vitæ. plorat homo in ipſo ortus ſui veſtibulo, & ætatis*
*Facit auſpicium à dolore.* VIG. *quippe naſcentem voluptatis*
*Non quædam regia excipit, ſed hoſpitium calamitatis.*
VIR. *Dolor iſte, vah, quàm triſte principium & præſagium aliorum eſt*
*Dolorum?* VIG. *& innumerabiliũ, per quos labore cum magno*

*Et miſerè decurrendum miſero eſt à carceribus ad metas.*
VIR. *Ut in mari, veſaniente vento, trudit undam unda,*
*Et fluctui fluctus cedit ſequenti: ita præterita ſemper*
*Cumulo malorum inſtantium premuntur, luctui luctus*
*Comes conſequitur.* VIG. *certum eſt, quò longiùs in hac viâ vitæ*
*Proceditur, hòc non ſolùm propiorem mortalibus mortem,*
*Sed & acriorem mortis auctioremq́ fieri ſenſum*
*Per ærumnas.* VIR. *id nunc domo nos experimur, atq́ ipſæ*
*De nobis ſcimus, quas umbra ærumnoſa mortis involvit.*
Coloſſ. 3. *Emortuæ ſumus, & cum Chriſto noſtra abſcondita eſt vita*
*In Deo.* VIG. *at ex umbrâ perbreve eſt, quando educetur in lucē.*
*Etenim manifeſtus cùm inclaruerit, vita veſtra, Chriſtus, tùm*
*Vos quoq́ cum ipſo fulgebitis cœleſti gloriâ illuſtres.*
VIR. *Utinam hoc ipſo momento, utinam. hîc nobis non anima, non corpus*
*Honori, ſed nimio eſt oneri.* VIG. *quia enim cum labe peccati*
*Unâ penitùs ignominia inſedit tàm corporis membris*
*Quàm animæ penetralibus.* VIR. *ſic eſt. premit ignorantiæ mentem*
*Nox tetra, ex halitu gravi carceris offuſa terreni:*
*Jacet humi afflicta ratio, & illigata inanibus rerum*
*Viſis, languorem in veritate venandâ ſuum deflet:*
*Tantis eam invenit remoris obſeptam difficultatum.*
VIG. *Liquet idem atteſtari mihi, Virgines, & conqueri, quantis*
*Inter gentiles ſtudiis & vigiliis, & lucernarum*
*Tinctis fuligine operibus ſim enixa ſcientiæ ſolem*
*Parere ex naturæ utero; fruſtrà. tandem mortalibus lunam*
*Per nubila vix dedi, maculis errorum decoloratam,*

*Nimis*

*Nimis hercle profliganda inſcitia informemq́; & infirmam.*
VIR. *Miſerũ eſſe ajunt, igitur demum puteũ fodere, ubi jam fau-*
*Tenet ſitis: atqui miſerius eſt, aquã niſi turbidam effoſſo* (*ces*
*Puteo non invenire, quam bibas: miſerrimum porrò*
*Quod, ut reſtinguas, ſumitur, eo plus & plus ſitim accendi.*
VIG. *Guſtare ſaltem particulam diæ ſapientiæ hîc nobis*
*Datum eſt: guſtemus, Virgines, laudes grateſq́; dicamus*
*Pariter æterno luminum Patri, agnitione quòd verâ*
*Qui nos tamen illuminavit,* atque ut ſortis eſſemus Coloſſ. 1.
Sanctorum participes effecit in lumine. VIR. *quod in nobis*
*Fuit, diximus, & dicimus nunc, & dicemus ætates*
*In omnes omnium ſeclorum. ô Sol exorere noſter nos*
*Super: exime iſtâ nos caligine terræ, ſuſcipe in lucis*
*Tuæ clarorem: ubi de ipſo ſatiemur tuæ imaginis fonte.*
VIG. *Id nunc abeſt quam proximè: durate ſub fide.* VIR. *vix, ut*
*Queamus, erit.* foris pugnæ, timores intùs: *atroce* 2. Cor. 7.
*Et inteſtino quodam diſtrahimur bello: nec in nobis*
*Pax eadem, quæ nos inter eſt. coëunt ſeſe inter & cernunt*
*Manu hoſticâ ſpiritus & caro. nos jactamur, fatigamur,*
*Cruciamur aſſiduò: turbat animus, cor palpitat, quidnam*
*Exoptet, inſtituat, fugiat, fuget, ſequatur, affectet,*
*Agat, ſæpè hæſitans neſcit. quod lubet, id continuò jam non*
*Lubet: modò quod ſuaſit ſpiritus, id diſſuadet caro: rurſum*
*Quod iſte diſſuaſit, id hæc oſtentat, compellit illò, unde*
*Nunquam non ſpiritus aſpellit. ſalus, lux, vita cœleſtis,*
*Chriſti conſortium, ipſa æternitas, hæc ſunt bona, in quorum*
*Poſſeſſionem inſurgit ſpiritûs alacritas. quod ſit*

*A carne contrà: mundi tenebræ, rerum fluxa, naturæ*
*Sordes, flagitia terræ, præcipitium mortis, hæc illa,*
*Quibus implicitus carnis ſtupor ierit cum ſpiritu peſſum:*
*Ni nos auxiliatrix Dei manus retineat à lapſu.*
*Deo laudes, qui operatur in nobis, ut & velimus, nec*
*Non perficiamus, quod jubet, pro benevolentiâ erga nos*
*Suâ.* VIG. *divinitùs dictum. idem faciet ille, quod fecit*
*Adhuc, ad perdomandam cum cupidinibus ſuis carnem.*
*Sufficiet vires copiaſq; : ſed vos ne pigeat hujus*
*Militiæ.* VIR. *pigeat? pudet imò nos noſtri: tantus hæc membra*
*Languor, tantum occupavit frigus ad actionum ſanctarum*
*Decus explicandum. non vitale, mortis inſtar hoc ævum eſt.*
*Carnis putorem circumferimus vermium feracem: nec*
*Peccatis verminans aliud niſi parturit caro mortem.*
Rom 7. *Quis infelices ſolvet tandem* à corpore mortis, hujuſce, ut
2.Cor.4. Mortale quod eſt, abſorbeatur à vita? VIG. *propinquat, vos*
*Ut ſolvat, Chriſtus, & ut coronet. quiſquis uſq; ad extremum*
*Depugnarit cum animo ſuo, ne carni ſerviat, victor*
*Victorum cluet is homo.* VIR. *nimis, ah, diu ſpes noſtra differtur.*
VIG. *Videatur quamvis, nulla hæc eſt dilatio. nam agit propter*
2.Pet.3. *Nos patienter Dominus, nolens aliquos perire, verùm omnes*
*Ad pœnitentiam reverti.* VIR. *ô ſi noſtræ reverſæ ſint*
*Sorores.* VIG. *nihil optatius. faxis hominum alme Salvator.*
*Quanquam perdifficile eſt ſemel adamato repudium mundo*
*Mittere.* VIG. *nobis verò in dies aliam atq; aliam miſeriam iſte*
*Immundus accudere non ceſſat.* VIG. *næ poſteriùs iſtuc mî*
*Quàm credo vobis, dicitis.* VIR. *diu eſt, cum tàm gravè incuſſit*
*Mor-*

*Morbum,ut videre audireq́ ejus facta ſimus ægrotæ.*
VIG. *Juxtà vobiſcum & ego. quid enim illis perditius? jocum*
*& ludum*
*Fuiſſe exiſtimabitis Sodomæorum impuritates &*
*Nequitias præ rabie hujus ſecli.* VIR. *næ projecta fœdè ad fas*
*Nefaſq́ commiſcendum cernitur.* VIG. *fœdiſſimis immò*
*Corrumpere & corrumpier quorumcunq́ ſcelerum exemplis*
*Jam ſeculũ vocant.* VIR. *ô dignum adæquè ſulphure & flammis*
*Cœleſtibus interire. nos,nos quando eximus hinc? aut quàm*
*Diu hîc viciniæ cum iſtis,hei, conflictabimur,qui nec*
*Ipſi Deum curant,nec ſunt,quos reſpiciat, Deo curæ?*
*Quorum animis avidis atque inſatietatibus gulæ non lex,*
*Non pudor ullus,capere, eſt,qui poſſiet modum. hæc enim virtus*
*Maxima nunc mundo,ire quà lubet,quodq́ imperant iræ,*
*Libido,avaritia,ambitio,omnes peſſimæ cupiditates,*
*Id unum facere & perſequi.* VIG. *ædepol.recta ratio in ventrem*
*Correpſit mundo,ita ſeculũ eſt.* VIR. *nec aliud ſibi dari in laudem*
*Studet.* VIG. *ſic vara vibiam ſequitur,quod aſſolet dici.*
VIR. *Ipſum Sathanam venerari pro Deo,in ſanctũ Dei verbum*
*Jacere convicia, inſimulare continentiam probri,*
*Integritati inurere maculam,mulctare probitatem*
*Infamià,cultorum Chriſti ſanguine imbuere terram,*
*Hæc relligio,hæc ſapientia,hæc pietas,vetus hic Dei cultus*
*Cenſetur.* VIG. *turpe,ſacrilegũ,flagitioſum,nefandum: horum*
*Nihil negari ſe patitur.* VIR. *animi nec percipi ſenſu,*
*Quin cor animumq́ percipiat ingens amaror ac mœror.*
VIG. *Si mundus in poteſtate eſt Sathanæ,atq́ dominium mundi*

*Si Sathanas poſſidet, utique ex ingenio hujus licet mores*
*Ac ſtudia illius æſtimetis: ut finem modumq́; iſti*
*Statuatis mœrori*.. VIR. *iſti, quem impiûm felicitas auget*
*Noſtris objecta oculis.* VIG. *facitote ad hanc oculi ut ſient clauſi.*
VIR. *Dictu facile, haud perinde factu: vel clauſos rei ipſius*
*Indignitas aperuerit, penes illos dignitatum eſſe*
*Culmina, poteſtatum fulmina, theſauros, copias tanquam*
*Maria, quaſq; inceptaverint, ſucceſſus proſperos rerum,*
*Quos plecti ob ſcelera & miſeros jus eſſet haberi.* VIG. *querelam ad me*
*Profertis antiquam, injuſtam, inq; commoda: ejus æquum vos*
*Deſinere, cumq; mundo ſic belligerari, ut neque ſecundis*
*Corrumpatur, neque adverſis concutiatur fides veſtra:*
*Sub Chriſti etiam vexillo vos tenerier memento te.*
VIR. *Rectè, tametſi moneas nulla.* VIG. *quid? impiûm poteſtates,*
*Divitias, dignitates, alia, quibus tument ſupra vulgus,*
*Mera ſomnia eſſe atque umbras non recordamini?* VIR. *utique.*
VIG. *quid ergo eſt,*
*Cur impiis invideatis ſua commoda, per quæ ad æternos*
*Reſervantur cruciatus? aut non veſtra incommoda feratis,*
*Per quæ ad voluptates beatæ conſervamini vitæ?*
VIR. *Conſuades hercle, ut omnia ſine querelâ perferamus, quæ*
*Cunq; voluntas tulerit Chriſti.* VIG. *hoc eſſe videlicet ſequi Chriſtum.*
*Patiendo ſuperavit mundū ille, vos ſuperabitis in illo.*
VIR. *Atqui à mundi principe nobis immane negotii quantum*
*Faceſſitur, aſſiduas ſaluti inſidias dum ſtruit noſtræ.*
VIG. *Fateor, ut Chriſto, ſic vobis eſſe infenſiſſimū illum hoſtem.*

VIR.

VIR. *Alios velitari ſaltem, & quaſi prælude re autumes pugnæ,*
*Hunc ſolidâ decertare vi.* VIG. *atque inexpugnabili, vires*
*Noſtras ſi contrà penſitaverimus.* VIR. *opera tenebrarum*
*Obductâ ſpecie lucis ſic perdocet, ut nulla majori*
*Res gaudio ſit, illa quàm perfecta reddere: ſimul ſat*
*Autem libidini eſt factum, extemplò fuiſſe malis, quàm*
*Eſſe: in tantum ingravaſcit, illo exaggerante, onus culpæ.*
VIG. *Rem fabulamini, forſan & expertæ.* VIR. *homines ſumus,*
*Vigilantia, peccat imbecillitas identidem noſtra:* (*non dî,*
*Veruntamen, quod aliquando puditum eſt peccaſſe, dehinc iſtud*
*Fateri peccatum, non eſt ut pudeat pœnitentes.* VIG. *nil*
*Pietas videtur ipſa proloqui ſalubrius poſſe.*
VIR. *Nec rarò ſenſimus hoſtis in nos jacula ignita vibrari.*
VIG. *His armatus oberrat.* VIR. *tanto quidem impetu, ut animis noſtris*
*Nulla ſuperfieret confidentia.* VIG. *adeòn' nulla?* VIR. *næ perquã*
*Pauxilla. atque adeò conſudare metu viſcera, ſtupere impos*
*Sui cor, terror, anxietas, pavor vaſtare turbatam*
*Mentem, ſpes funerari & opes vitæ, oboriri inferûm craſſa*
*Caligo oculis: jam ut prorſum opprimeremur, jã ut enicaremur*
VIG. *Ita complacitum* JEHOVÆ, *Virgines, ſuos in ætate*
*Depreſſum ad inferos ire ac redivivos excitare inde:*
*Pendere ab ejus gratuitâ tantùm ut gratiâ diſcant.*
*Vos tantò fortiùs hoſti opponetis clypeum fide invictum:*
*Quanto ejus majorem in modum furorem gliſcere atq; iram*
*Paſſim animadvertere eſt ſub ipſam hanc mundi clauſulã.* VIR.
*Medullis hanc properarier deſideramus à Chriſto.* (*ut totis*

*Non hilum hocce moramur ſeclum. quid commoremur in ſeclo?*
*Vivitur in noxis, vivitur, eheu, in pœnam ſibi: curis*
*Tabeſcere, fatiſcere laboribus, maceſſere ærumnis,*
*Lacrymis madeſcere, obrui mœrore, confici luctu,*
*Tentari inſidiis dæmonum, mille ferè cottidiè peſtes*
*Oppetere, hoc vivere appellatur. ô vecordiam. nobis*
*Ut liceat, quod nimio lubet opere, hinc migrare, & ævum cum*
*Chriſto agere, jam paciſcier velimus mortibus centum.*
VIG. *Chriſtus agonotheta vobis eſt, theatrum mortis hæc terra:*
*In quo parumper vult etiam fidei ſpectarier pugnam*
*Veſtræ, & robur animi & patientiam precationumq́;*
*Fervorem: perſeverate, ut decet viragines: cœlo*
*Coruſcat palma: parata miſſio & ſine fine requies eſt.*
VIR. *Res certa de palmâ quidem eſt: tu mentione requietis*
*Flammam novellam ſubdidiſti deſiderio & ardori*
*Noſtro.* VIG. *perſpicio feſſas concupiſcere requiem ac dudum.*
VIR. *Quæ nos manet in thalamo Sponſi noſtri, hanc unam unicè, ô mater;*
*Quamvis nec carnis genius defraudarier ſuâ prorſus*
*Velit refectione, viribus tolerantiâ fractis*
*Longâ malorum.* VIG. *ſanè corporis neceſſitati nil*
*Quicquam negandum, quod nil ſanitati ſpiritûs obſit.*
*Ubi conſidere lubido eſt?* VIR. *hîc humi.* VIG. *cur autem humi?*
VIR. *humani*
*Generis humus eſt cubiculum, omnis unde dormientum oras*
*In lucis expergita reſurget multitudo, cum Chriſtus*
*Advenerit.* VIG. *quid intus ſi pulvillos proferam vobis*
*Foras?*

*Foras? Vir. fiat,uti vis. quin jam ſecunda hæc exeat nobis*
*Vigilia,haud multum aberit, Sorores. Vir. al. argumentum huic certè*
*Rei ſpiſſiſſima nox dicit,quam ut vincant lampades noſtræ,*
*Vix eſt. Vir. al. tamen evincunt ſplendore flammæ. Vig. faveo, dilectæ,*
*Quietem molliorem vobis,faveo: ſed ocquiniſcentes*
*Ne fœdè indulgeatis ſomno. Vir. hunc verò lampadum arcebit*
*Lux procul. optata quies,ut ſuaviter artus languidos placas,*
*Et laſſitudinem minuis. venito amabilis Sponſe,*
*Deſiderabilis venito: quouſque morabere? quouſque?*
*Nimio morimur amore tui. Vir. al. pertæſum animas nimis noſtras*
*Eſt vitæ noſtræ: facito,illuceſcat facies tua,& ſalvæ*
*Erimus. Vir. al. Chriſte Deus, Salvator Jeſu, lux, via, ſalus noſtra,*
*Per te hactenus ambulatū eſt: nunc da perveniamus ad te,nunc*
*Da requieſcamus in te. Vig. aderit vobis,aderit citò: portas*
*Jam cernetis reſerarier urbis cœlicæ,atque ad amplexus*
*Beatos intromittier vos. dilectiſſimi Sponſi.*
*Vir. Dum iſtud ſperamus & exſpectamus,hora qualibet toto*
*Videtur anno longior,nec momentum breve eſt. Vig. ecce,*
Venio citò, *inquit,* & mecū mea merces eſt, *hominū ut* uni
Cuiq; ſecundum opera reddam ſua. *Vir. etiam* veni Domine Jesu. Apoc.22.
*Vir. al. Amē,amen, Vir. al. optatò venies exſpectatus ô Jeſu.*
*Vig. Eu,quantis & quàm ardentibus ſeſe ſuſpiriis intus*

*Spiri-*

*Spiritus excitat ad prendendum jus regni cœlici. verùm*
*Subinde dat in languorem infirmitas terrena vigilantes:*
*Ad dormitandum ut nutant; inconnivis eſſe non poſſunt*
*Oculis. exſtimulabo ad preces, id optimū: hem: quid? in ſomnū*
*Sic. Virgines, labi incipiſſitis? non noctu adorandum*
*Quoq; Dominū eſſe vobis in mente eſt?* VIR. *ecce, eſt: adoremus,*
*Agite, & laudemus muſicè: haud ſileat ſilentium noctis.*

## HYMNUS ἘΝΝΎΧΙΟΣ QUINQUE VIRGINUM.

DISCANTUS PRIMUS




DISCANT. II.




ALTUS


ALTUS.
Deus Deus ter optime, Deus deorum maxime, Cu jus
poten- te numi ne Stant cuncta rerum condita.
TENOR.
Deus Deus ter o ptime, Deus deorum maxime, Cujus
po ten te nu mi ne Stant cuncta rerum condita.
BASSUS.
De us Deus ter optime, Deus deorum maxime, Cujus
po ten te numine Stant cuncta rerum condita.

DEus, Deus ter optime,
Deus deorum maxime,
Cujus potente numine
Stant cuncta rerũ cõdita.
Quo temperante temporũ
Labuntur annuæ vices:
Et conſtitutum ſecula
Properant adusque terminum.
FILI DEIq; & Virginis,
Peccata qui mundi, in cruce
Moriens ſacrata victima,
Tuo piaſti ſanguine
Tuq; ô Patris Natiq; Amor,
Duce quo ſalutis arduum
Firmo ac fideli pectore
Perambulamus tramitem.
Quæ capere mens poſsit tuæ?
Quæ lingua fando promere
Pietatis in nos copiam,
Finis modique neſciam?
Te laus, honor, te gloria,
Virtus, poteſtas, actio
Te gratiarum omnis manet,
Cunctis in ævum ſeculis.
Nunc, quando ventũ eſt ulti- (mum
Ad limitem rerũ, tuam
Opem rogamus ſupplices:
Præſta rogatam cœlitus.
Nox atra, noctis arbiter
Atrox doloſis fraudibus
Periculiſque plurimis
Nos cingit, angit, obſidet.
Fac, ſpem fidemq; jugiter
Figamus in te vividam:
Per hanc ut inſertæ tibi
Vincamus hoſticos dolos.
Vincamus omne noxium,
Tuis revinctæ nexibus,
O Sponſe noſter auree,
O ſtella vitæ candida.
Veni, veni, tibi mentium
Præpandimus fores, veni:
Ac ſempiternæ gloriæ
Tecum potentes effice.

Gen. 28. *VIG. Non eſt hîc aliud niſi Domus DEI atq; porta cœli: nec*
*Humanæ haruncce corda Virginum ſunt: templa ſunt viva*
*Dei viventis, quæ flammis pellucent Spiritus Sancti.*
*Utcunque corpora indormierint: hinc ſecuritas longè*
*Ac pridem fugit, nihil ei loci eſt. noctu vigila fides, ceu*
*Lampas, refulget intus: ſpes cœlo hæret: caritas Chriſtum*
*Amplexa fovet. mihi ad ſuperos jam tempus eſt remigrandi:*
*Ut vigiles inter æthereos his tàm probè paratis ad*
*Æthereas nuptias ſummi ætheris patefaciam limen.* *ACT.*

# ACTUS IV. SCENA VI.

STOMYLUS, VIRGINES FATUÆ QUINQ;.

STO. *Manete, bellæ, eja, manete dum.* VIR. *non, non: valeto tu.* Iambici octon Septen: Senarij.
STO. *Eia, obſecro.* VIR. *nihil agis. concubium eſt noctis. benè rem gere.*
STO. *Manebitis: nolo hercle.* VIR. *ſi non vis, ito in malam crucem,*
*Et plorato, per nos licebit.* STO. *vah, tàm ſæviter.*
VIR. 1. *Nimis quàm exile lumen ſpargunt noſtræ lampades:*
*Vix oculis ego, quæ ante pedes ſunt, ea proſpicio meis.*
VIR. 2 *Sat luminis eſt: ingrediamur viam, duce fortunâ bonâ:*
*Erroris nihil obtigerit, nota via.* VIR. 3. *hem, quid hoc novi?*
*Sorores noſtras hîc quietem capere ſub dio?* VIR. 4. *ſt, ſine,*
*Fors iſtuc noſtri deſiderium ſuaſerit* VIR. 5. *planè autumo.*
*Leviſomnis mentibus parcamus.* VIR. 1. *ſopor iſte vigilax*
*Videtur, ut leonum.* VIR. 2. *quin noſtram conjungimus*
*Quietem, ut molles, laſſæ, debiles ſumus.*
VIR. 3. *Placet. placidè recumbamus.* VIR. 4. *næ ita facto opu'ſt.*

# ACTUS IV. SCENA VII.

PLEONECTES, STOMYLUS, BRUNIO, PUER.

PLE. *Heus tu Stomyle, ubi quinq; noſtræ Virgines?* Senar: Septen. Octonarij Iamb: promiſcui.
STO. *Neſcio.* PLE. *neſcis?* STO. *imò enimvero ſcio, ſi hoc quidem.*
*Auditu gratius verbũ eſt.* PLE. *ubi?* STO. *in animi*

*Memoriâ* PLE. *mirum, quin te naſô aut podice ſcire exiſtimem:*
*Ubi Virgines ſunt?* STO. *ſcio enimverò nobiſcum fuiſſe: nunc*
*Ubi ſient locorum, id haud tu paulò rectiùs*
*Haſce tenebras interrogaſsis: hæ ſciant.*
PLE. *Atqui non dixerint.* STO. *non.* PLE. *te Dieſpiter,*
*Maſtigia, diſperdat cum apinis, cumq; omnibus gerris tuis.*
STO. *Ahâ nihil à Dieſpitre, quod metuam, eſt mali:*
*Vt quem Nocturnus mortuum ſub terrâ condidit.*
PLE. *Apinator, hoc age. nonne in mandatis dederam tibi,*
*Videres, nequò digrederentur Virgines?*
*Quòd conſilium erat, collocatis in toro*
*Geniali Sponſis & cubiculo clauſis, iam integram*
*Cum illis noctem in delicijs exigere. quid tu taces?*
STO. *Recomminiſcar, ſine, quæſo: fortaſſe factum: haud ædepol*
*Iſtuc liquidò pronunciem.* PLE. *malè bovinatur carnifex.*
*Cur dimiſiſti?* STO. *nuſquam factum reperies:*
*Ad ſeſe abierunt injuſſu meo.* PLE. *malum*
*Tibi quod dî dabunt, cavillis qui moleſtus ſic tuis.*
STO. *Etiam meo inconſultu, etiam me invito: quid vis amplius?*
PLE. *Abiturientes quare non retentaſti?* STO. *quia*
*Amore tui retineri nolebant. nec erat meum*
*Venatum ducere invitas canes.* PLE. *at verò, ubi*
*Lautior obiecta quadam offa ſit, ibi lupinũ facere impetum, &*
*Ambabus expletis malis vorare, eſſe tuum ſcilicet.*
STO. *Siccine tu marrucine, ſi cuiquam boni*

*Quid*

*Quid fortè faxis, illud continuò exprobres?*
*Eccam huius vappæ ſtolidam confidentiam.*
PLE. *Tu ex ſterquilinio effoſſe nequam gratiam mihi*
*Flagitio referas, atq; id ſine malo?* STO. *mali,*
*Quod condecet ſe, capiant. an tu ſegetem gratiæ tuæ*
*Ipſus protritum eas dictis factis vè malis, & poſtules*
*Habere, quod de malè relatâ conquerare gratia?*
PLE. *Abi hinc ad Acheruntem, perfoſſor parietum.*
STO. *Te præeuntem ſequar, ſector Zonarie.*
PLE. *Sceleſtiſſime, quantum eſt, hominum.* STO. *vecors & malefice*
*Vacerra.* PLE. *verborum largiter habes ſine*
*Penu & pecuniâ.* STO. *tu multò plus pecuniæ*
*Per fraudes & ſcelera.* PLE. *vin' pugnis obſeri os tibi?*
STO. *Vin' tu metere tibi, ſicut ſementem feceris?*
PLE. *Hem.* STO. *rurſum hem. par pari datum hoſtimentum eſt: ne tu exiſtimes*
*De genere plagipatidarum me eſſe Laconico.*
PLE. *Egon' iſtuc perpetiar? ut te ſexcenti dæmones*
*Rapiant ſublimem: noctem hanc ſupremam vides.*
STO. *Gladium tu ſtringis? & ego.* PLE. *ſtatim, age, mecum rem gere.*
*Redeant, faxo, per jugulum, quæ in me evomuiſti, convicia.*
*Hem ſic.* STO. *& ſic.* PLE. *ſic verò.* STO. *attate, quæ hæc factio*
*Omnes prorumpunt ex aulâ adjutum hunc, me perditum.*
*Tantos adverſus ſiſti non poteſt: caput hocce perfugam*
*Salvum ſit oportet. ô cives populares ferte opem.*

PLE. *Heus tu poſtreme Myſorum, hîc docebere*
*Quàm ſit conſultum in principum aulis linguam exerere liberam,*
*Et invocatum eſſe in noſtris convivijs.*
STO. *Quòd evaſi, gratia nocti & pedibus meis.*
*Pfui, quàm me diſpudet mei? ſi linguæ ſint duæ,*
*Iam liberam illam mihi radicitùs evulſero, eò quòd loci*
*Atq; hominum ſecurior in perniciem meam.*
*Quidvis effutiit. atq; hoc vino etiam vitium eſt, ſuæ*
*Plerumq; obliviosſos artis artifices facit.*
*Ibo domum nunc, & conſiliabor mecum in caſtuinum,*
*Quî me purgem reciperandæ, quam tenui, gratiæ.*
*Nam pol quantumlibet officium quis in aulâ fecerit:*
*Suam tenet aula legem, ut officiis vicem*
*Iniuriarum exſolvat noxiis: quod patiundum & mihi.*
BRU. *I puere, tu, tu mihi, tu pes eris, ôba, ſuſtine:*
*Hi me ſubvertent ſceleratiſſimi pedes: duc angulum*
*In proximum. ſic terræ inſiſto, terræ, ôba, tanquam rotæ*
*Cuidam. dî malè faxint, qui ſic opponunt pocula.*
PU. *Et qui ſic poculis reſpondent, inquito.*

ACTUS

# Actus V. Scena I.

ARCHANGELUS TUBICEN, CHORUS ANGELORUM.

Arch. *Hæc ſumma noctis meridies eſt: temporum*
*Hæc ſumma mundi, & ipſa rerum clauſula eſt.*
*Iam fuit ævi viciſſitudo labilis:*
*Æternitas dehinc ſtabit ævi immobilis.*
*Adventum meus apportat Rex nimis oppidò*
*Terris inopinatus. ſopor altus & quies*
*Secura mortales omnes, eccos, habet:*
*Ut quidem ego ex hâc ſpeculâ capio celſiſſimâ*
*Proſpectum. niſi quòd in his Chriſtus ſuos benè*
*Novit malè ſoporatos & vel ſic benè,*
*Facturus plenas lætitiæ ineffabilis*
*Sibi deſponſæ jam nuptias Eccleſiæ*
*Sine fine ac termino. beatam Eccleſiam,*
*Nimiùm beatas, quarum cœtu, Virgines,*
*Caſto & vigilante conſtat cœtu Eccleſia.*
*Illa. mihi namque exſuſcitanda eſt tàm tubæ*
*Sonitu huius, quàm comitum meorum claſſico.*

# AGE, FIAT.

## DISCANTUS PRIMUS. à 5.




## DISCANTUS II.



ALTUS.




TENOR.




BASSUS.



## CHORUS ANGEL:

Sponſus venit, venit Sponſus: jam adeſt, iô.

### DISCANTUS I. à 6.




### DISCANTUS II.




### ALTUS I.




Spon-

## ALTUS II.




## TENOR.




## BASSUS.




*Iteretur hîc ſuperior tubarum ſymphonia.*

## CHORUS ANGEL:

Adeſt: ad nuptias, ad nuptias, ió.

I. CHOR. DISCANTUS ab 8.




I. CHOR. ALTUS.




I. CHOR. TENOR.




I. CHOR. BASSUS.



II. CHOR. DISCANTUS.




II. CHOR. ALTUS.




II. CHOR. TENOR.




II. CHOR. BASSUS.



CHOR. ANG. *Sponſo obvios nunc ferte greſſus Virgines.*

# ACTUS V. SCENA II.

VIRGINES, PRUDENTES V. FATUÆ TOTIDEM

PRU. 1. *Surgamus alacres, ô lætabile nuncium:*
*Quod in univerſo acroama mundo ſuaviùs*
*Sonuerit?* PRU. 2. *tandem ades ô deſiderium, ô amor*
*Noſter?* PRU. 3. *Corona, gloria noſtra, gloriæ*
*Rex Chriſte?* PRU. 4. *ô Sponſe melle dulci dulcior.*
PRU. 5. *Nos introduc Rex noſter in thalamum tuum:*
Cant. 1. *In te æternùm exſultabimus & lætabimur.*
FA. 1. *E hem, Sorores, inſonuitne cælitùs*
*Tuba?* FA. 2. *næ in ſomnis clamorem audire viſa ſum.*
PRU. 6. *Quid deſides, malum, cunctamini? obviam*
*Sponſo veniendum eſt.* FA. 3. *nimis approperat ille, eheu:*
*In pectus emicat cor præ metu.* FA. 4. *ubi ſumus?*
*Quò, quò nos vertemus?* PRU. 1. *adoremus lampades*
*Haſce, Sorores,* PRU. 2. *ſanè pretium eſt, hoc ut pulcriùs*
*Ardeſcant luce clarâ & candidâ.* FA. 5. *quid, ah,*
*Quid inceptandum nobis? hæ noſtræ occidunt*
*Humore defectæ penitùs.* PRU. *quin indito*
*Renovatis oleo flammam.* FA. *quin in vaſculis*
*Noſtris ne guttula quidem eſt olei.* PRU. *proh Deum*
*Immortalem, quì tam fatuæ fuiſtis, ut,*
*Lampadibus unde vita eſt, ejus copiam*

*Nullam*

*Nullam ac pridem vobis proſpectum iveritis?*
FA. *Vitio memoriæ neglectum.* PRU. *fortaſſe apud*
*Plutum ebibiſſe aliquod vos lethes poculum.*
FA. *De oleo veſtro, Sorores, quæſumus, optimæ,*
*Pauxillulum.* PRU. *nihil hinc licet.* FA. *abundè fuerit*
*Vobis ſuper: date pauxillum, ne exſpiret hoc*
*Lumen nobis.* PRU. *nihil eſt profectò, quo benè*
*Carere poſſimus. nobis defecerit*
*Quicquid dederimus: nec vobis ſufficerit*
*Datum. ſic neutris cautè & cogitatè erit*
*Proviſum.* FA. *occidimus, ſi lux in fumum abierit*
*Noſtra.* PRU. *ite ad factores, aut alios, quos penes*
*Oleum venale eſt, & emite ex lubidine*
*Veſtrâ: moram movete à vobis, dum moras*
*Nectit adhuc Sponſus.* FA. *faciendum omninò eſt ita.*
FA. 2. *Ubi oleum, oleum?* FA. 3. *væ, mercatores dormiunt:*
*Agitant noctu clauſæ tabernæ ferias.*
FA. 4. *Ecquis oleum vendit, oleum? heus, heus. nemo qui*
*Hîc mutiat eſt, nec vel canis.* FA. 5. *ecaſtor alio-*
*vorſum eſt eundum.* FA. 1. *adeòn' odêre omnes lucrum?*

# Actus V. Scena III.

CHORUS ANGEL. VOX SPONSI, VIRGINES PRUDENTES.

CHOR. Iô triumphe, triumphe, triumphe, triumphe iô.

DISCANTUS I. à 5.




DISCANTUS II.




ALTUS.

ALTUS.




TENOR.




BASSUS.



VOX SP. *Veni dilecta mea, formoſa mea veni:*
*Iam enim hyems tranſiit, imber abijt ac receſſit: in*
*Terrâ flores apparuere. tu mei*
*Thalami ac regni ſocia & conſors in ævum eris.*
*Te, te ſalus, voluptas, immortalitas,*
*Beatitudo, pax, honor, victoria*
*Non deſituris unquam opplebunt gaudijs.*

CHORI ANGELICI προσῴδιον.

Ingredere Sponſa Eccleſia
Ad ſacra nuptialia,
Parata per Sponſum tibi,
Primævo ab orbis conditu.
Ingredere ſancta Eccleſia
In pacis aureum torum:
Ubi parta jugis omnibus
Quies tibi à laboribus.
Ingredere dia Eccleſia
Victoris in palatium:
Ut hoſtibus neci datis,
Agas triumphum perpetem.

DISCAN-

## DISCANTUS I. à 5.




## DISCANTUS II.



## ALTUS




## TENOR.




Ingre-

BASSUS.




## VIGINUM ἐϖινίκιον.

Triumphe iô, triumphe iô,
Obtrita vis jacet hoſtium:
Proiectus è cœlo eſt Draco
Rapidos in ignes Tartari.
Triumphe iô, triumphe iô,
Ceſſit tyrannicus furor:
Conceſſit in fumum levem
Mundi ferox potentia.
Triumphe iô, triumphe iô,
Mors victa & in victoriâ
Abſorpta iuris nihil habet:
Triumphat immortalitas.
Laus & perennis gloria
DEO parenti, qni ſuum
Per Chriſtum Jeſum Filium
Nobis dedit victoriam.

## DISCANTUS I. à 5.




## DISCANTUS II.



## ALTUS.


T Rium- phe ij. i ô triumphe ij. i ô obtrita
vis jacet hoſti um ij. ij. pro- je-
ctus è cœlo eſt Dra- co è cœ lo eſt Dra- co rapidos in ignes Tar ta ri,
rapidos in ignes in ignes Tartari.

## TENOR.


T Riumphe triumphe i ô ij. ob tri ta vis ja-
cet ho- ſti um ij. ij. projectus è cœ-
lo eſt Draco ij. ra- pidos in i gnes Tar ta ri ij.

BASSUS.




*Clauſula ab Angelico & virginum choro pariter decantetur.*

DISCANTUS I. à 6.






## DISCANTUS II.




## ALTUS.




o pa- ren ti qui ſuũ per Chriſtũ ij. ij. ij.
qui ſu- um per Chriſtum Ieſum filium per Chriſtum Ieſum filium, nobis de-
dit victo- ri am ij. ij. victo- ri am
nobis de- dit victo- riam.

TENOR I.


L
Aus & perennis glo- ri a Deo pa ren tĩ Deo pa ren-
ti ij. ij. qui ſuum per Chriſtum ij.
ij. per Chriſtum Ieſum fili- um nobis dedit victoriam
ij. ij. nobis dedit victoriam.

## TENOR II.




## BASSUS.



# ACTUS V. SCENA IV.

VIRGINES FATUÆ, VOX SPONSI, CHORUS.

FA. 1. *Perreptavimus ferè oppidum omne: nec mortalium*
*Quenquam invenimus, non myropolam, non olearium,*
*Non cauponem, noſtri causâ, qui abs ſeſe impetrarier*
*Noctiſurgium ſiviſſet: heî, miſeras nos dicier*
*Injuria fuat, miſeria ipſa ſumus, infortunium*
*Ipſum. exſtincta luce fumum exhalant iſtæ lampades.*
FA. 2. *Æternùm interiÿmus, mortuum cor eſt metu: quatit*
*Frigidus horror membra. quid aliud nos circum, niſi cæcitas,*
*Caligo, terror?* FA. 3. *nuſquam auxilî, præſidÿ, aut perfugî*
*Copia ulla nec cœlo nec terrâ: nec nobis ſalus*
*Ab jam ſperabilis eſt.* FA. 4. *ni* Sponſus *noſtri miſertus hanc*
*Gratiam benignè faxit, ne iratus culpæ ſiet*
*Noſtræ.* FA. 5. *trepidemus iter præproperè ejus ad palatium.*
*Papæ januam obſeratam.* FA. 1. *væ, væ.* FA. 5. *ecce, & firmiſsimè*
FA. 1. *Patet intrò ſorores iſſe. quid fiet nobis, eheu?*
FA. 4. *Qui nihil poteſt ſperare, deſperet tamen nihil.*
*Admittier in partem nos rogemus.* FA. OMN. *Domine noſter, ah*
*Domine, pro ſummâq; & maximâ clementiâ tuâ*
*Iſtuc, ut tecum ſimus, aperirer nobis jube:*
*Domine noſter, ô Domine.* VOX. SP. *amen vobis dico, ignoro (vos.*
*Fugite à nobis procul hinc in tenebrarum extimum chaos.*

CHO-

## CHORUS ANGEL: ET VIR:

### DISCANTUS I.




### DISCANTUS II.




glo- ri a ejus ij. ij. ij. ij.
glo ri a ejus Amen Amen Amen ij. ij.
Amen.
ALTUS.
O Mni a conſummata ſunt ij. ſan- ctus
ij. ſanctus ſanctus ij. Dominus De- us
Zeba- oth ij. ij. Pleni cœlo-
rum ſunt cœli ij. glo ri a ejus ij. ij.
ij. glo- ri- a ejus glo ri a ejus ij.
Amen


Amen Amen ij. Amen Amen ij. ij.
TENOR I.
O Mnia conſummata ſunt ij. ſanctus ij. ſan-
ctus ij. ſan- ctus Dominus Deus Zebaoth ij.
Dominus Deus Zebaoth Pleni ſunt cœlorũ cœli ſunt cœli
ij. glo- ri a ejus ij. ij.
glo ri a ejus ij. ij. ij. glo ri- a e-
jus Amen ij. Amen Amen ij. ij.
TENOR II.
O Mnia conſummata ſunt ij. ſanctus ij. ſan-

ctus




BASSUS.




FINIS.

Fot 127726